2

CONSTITVTIONES SYNODALES


AEDITAE

AB ILL.MO ET REVER.MO D.

D. FRANCISCO BARBARO

Patriarcha Aquileiæ. &c.

In Synodo Diœcesana Aquileiensi habita in Terra Patriarchali Sancti Danielis.



VENETIIS MDXCVI.

Apud Ioan. Antonium Rapazetum.

FRANCISCVS
BARBARVS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS
GRATIA PATRIARCHA
AQVILEIÆ. ETC.

VNIVERSO CLERO DIOECESIS
AQVILEIENSIS.

D*IOECESANAE Synodi Aquileiensis Constitutiones ad vniuersæ Diœcesis commodum, & Ecclesiastici gubernij instaurationem; vt aliquando haberemus certi aliquid, quo gubernandi ratio dirigi, & aliorum informari mentes possent; imprimi, & edi quamprimum curauimus. Hinc habebunt omnes, qui præesse, vel sibi ratione, vel alijs officio debent, quod piè hauriant, & diligenter exequantur: hoc agant, meditentur, executione*

per-

perficiant; vt Ecclesiasticæ disciplinæ statum, si minus omnino restitutum, aliquando tandem meliorem habeamus.

Datum in Terra nostra Patriarchali Sancti Danielis die xxvi. Octobris. M D X C V.

CONSTITVTIONES.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS.

PATRIS ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

DE RESIDENTIA, ET Officio Curatorum.

ANIMARVM curam; quæ ars artium est; Ecclesijs Parochialibus annexam, si quis attentè consideret, quanti ea sit, cum requirat, vt oues quisque suas agnoscat, exemplo, & prædicatione pascat; Sacramentis vel sanare, vel in ęgritudinem ne incidant, seruare studeat; satis intelliget, quam graui teneatur obligatione obstrictus, qui Deo rationem de animabus sibi commissis reddere compelletur: id quod per Prophetam insinuat Dominus, cum dicit; Sanguinem gregis in medio ouium dissipatarum se de manibus pastoris requisiturum esse. Idcirco Sacri Concilij Tridentini Decretis non semel, aut bis actum, prouisumq́ue est, vt, qui curatas Ecclesias obtinent, apud illas resideant, in illis munera propria personaliter obeant, omnia, præstent, quęab eo, qui curam sustinet animarum, Decretis Canonum, consuetudine Ecclesiarum, locorum necessitate pręstanda sunt. ijs autem, qui otiosè resident, vt lucra tantum captent, & redditus beneficiales vberiores habeant; otium sectantur, &; quę facere ipsi deberent; per substitutas personas omnia exequi student: apertè insinuatur, & intimatur, non illos residere, sed abesse potius; cum censeatur abesse officio, qui corporali tantum pręsentia adest

otiosè. Idcirco pręcipimus omnibus, & singulis Ecclesiarum quocunque titulo, etiam temporario, curatarum Rectoribus, Plebanis, Vicarijs, Cooperatoribus, & Capellanis, vt apud Ecclesias sibi commissas solicite residere studeant, ac in ijs ministeria propria exerceant; & obeant, sub pęnis Sacrorū Canonū eorū singulis comminatis, & suo ētēpore (seruato iuris ordine) cum res, & necessitas tulerit, infligendis.

At verò; qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde; cum fur sit, & latro; Omnes, & quoscunque Simoniacos ingressus ad beneficia quęcunque Ecclesiastica pactionibus scripto, vel non scripto initis, sacrorum Canonum pœnis declaramus subiacuisse, & subiacere & titulum quemcunque institutionis, & adeptionis huiusmodi vitio laborantem, titulum non esse, nec pro titulo haberi posse: quem non titulum esse declaramus; & obtinentem ipsum inhabilem ad titulum; Ecclesiasticum verò beneficium vacare dicimus, & pronunciamus.

Obtinentes beneficia in confidentiam, seu confidentię vitio quocunque affecta, declaramus in commissum Bullę Pij. V. de confidentijs incidisse, & pœnis statutis procedi contra eos iure posse.

Qui verò Parochiales Ecclesias non seruato examine concursus iuxta Decretum Concilij Tridentini Sess. 24. cap. 18. de ref. & constitutionem Pij V. de collatione Ecclesiarum Parochialium, adepti sunt, eos declaramus titulum non habere, nec fructus suos facere.

Vt autem Curatorum præsentiam perpetuam apud suas Ecclesias optamus, atque etiam, vt ita fiat, districte pręcipimus, & mandamus: ita humanarum rerum inconstantia fieri experimur, vt necessitas interdum à ratione non omnino aliena intercurrat, cui ex parte aliqua indulgendum esse putamus. Quamuis à Sacra Tridentina Synodo sess. 23. ca. 1. §. eadem: omnino statutum sit, Rectores Ecclesiarum, quibus est cura animarum annexa, vltra bimestre tempus non debere à suis Ecclesiis, nisi ex graui causa, abesse, tamen nec intra hoc tempus à residendi munere discedere licebit, nisi licentia canonicè obtenta; vt Sacrę Congregationi super Concilio enucleatè declarare placuit. Idcirco omnibus, & singulis Plebanis, Vicariis, & Ecclesiarum curatarum Rectoribus in tota Diœcesi existentibus, Parochiales, & quocunque nomine Ecclesias curatas obtinentibus indicimus, & mandamus, vt ab

Eccle-

Ecclesijs, & cura sibi commissa discedere nullo modo præsumant, nisi licentia in scriptis à nobis, seu Vicario nostro Generali, vel etiam à Vicario Foraneo loci respectiuè iuxta Decretum subsequens obtenta.

Si cui ex aliqua rationabili causa ab Ecclesia, & cura per tempus aliquod abesse contigerit, volumus; si absentiæ tempus non excedat spatium quatuor dierum; vt à Vicario nostro Foraneo loci licentiam in scriptis ante discessum obtineat. absentia non permittatur diebus solennioribus anni. Si vltra dies quatuor abesse necesse sit, à nobis causa cognita, vel à Vicario nostro Generali in scriptis licentiam obtinere satagat; necessitatibus tamen repentinis indulgentes, quibus interdum aliquis abstrahi in longiorem absentiam ex improuiso solet, mandamus, illis casibus, licentiam à Vicario Foraneo, re prius cognita, in scriptis dari; nobis verò discessum quamprimum ab eodem Vicario significari: supradictis autem casibus statuimus, ab eo, qui discessurus est, debere Vicarium approbatum, seu approbandum relinqui pro cura animarum rectè sustinenda cum assignatione congruę portionis fructuum. si quis contra dictam constitutionem facere attentauerit, sacrorum Canonum pœnas experietur.

Sacramenta Ecclesiæ, per quæ omnis vera iustitia vel incipit, vel cępta augetur, vel amissa reparatur, ministrentur omnia iuxta ritum, & ordinem Sacerdotalis Romani, vt ex rituum vniformitate partium omnium quasi concentus quidam resultet, cum abusus, aut error esse non possit, vbi mater omnium Sancta Catholica Romana Ecclesia Spiritus Sancti gratia illustrata ducem se, ac magistram prębet.

In Baptismi Sacramento ministrando præcipimus, & mandamus omnibus Plebanis, Curatis, & quibuscunque Presbyteris ad hoc Sacramentum ministrandum admissis, & approbatis, & eorum singulis, vt vnum tantum, siue vnam, vel ad summum vnum, & vnam ad baptizatum de Baptismo suscipiendum admittant: qui plures admiserit, ipso facto sit à diuinis per mensem suspensus, & toties eandem pœnam incurrat, quoties contrafecerit.

Repellantur à Patrinatu hęretici, quocunque modo suspecti de hæresi, meretrices, infames personę, quę publica laborant infamia. Licet vnus, & vna ad Patrinatum admittantur; tamen mas baptizandum teneat, & eleuet de baptismo.

Ad fontem Sacrum, dum baptizatur, candela, ſeu intorticium iux-
ta libitum, & facultatem baptizandi accendatur propter reuerentiam
Sacramenti.

Abuſus, qui ſuperioribus temporibus inoleuerant de Chriſmate ab-
luendo, omnino tollantur. Qui contrafecerit, cuiuſcunque ſtatus, &
conditionis ſit, ipſo facto excommunicationi ſubiaceat.

In confirmandis pueris, & adultis ſumma adhibeatur cautio, vt
omnia ſeruentur, quę in pagina de Sacro chriſmate miniſtrando edicta
ſunt. Prætcrea Plebani, ſiue curati debent ſcribere nomen confirma-
ti, & patrini in libro huius rei cauſa conficiendo.

In patrinis confirmationis ſeruetur, quod eſt dictum de patrinis ad
Baptiſmum aſſumendis.

Prætcrea Curati librum habeant, in cuius principio ſcribant nomi-
na baptizatorum cum eorum parentibus, familia, patrinis, loco, die,
menſe, & anno. ſi de legitimo matrimonio, exprimantur parentes con
iugati: ſi minus; exprimatur naturalitas. ſi pater eſt incertus; ipſa in-
certitudo exprimatur. Si fuit expoſitus, in ſcriptione exprimatur, quo
die, & loco inuentus. Si fuit infans propter imminens periculum do-
mi baptizatus, deinde in Eccleſia catechizatus, ſcribantur patrini Ba-
ptiſmatis ſeparatim à patrinis Catechiſmi propter diuerſitatem cogna-
tionis ſpiritualis. In poſtrema huius libri parte ſcribantur confirma-
ti cum expreſſione nominis Epiſcopi confirmatoris, loco, die, menſe,
anno, patrino, ſeu patrina.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento tam aſſeruando, quàm mi
niſtrando quamuis à multis multa tradita, & mandata fuerint; nos
tamen ex quamplurimis pauca, & ex paucis, quę grauiora, maioraque
ſunt, inculcanda, & intimanda exiſtimauimus; vt, quod tantum de-
cet Sacramentum; reuerentia, & cultus exhibeatur.

Aſſeruatio Sanctiſſimæ Euchariſtiæ in Eccleſia, vt antiquiſſima eſt,
ita decens, pia, ac religioſa eſſe debet. Cuſtodiæ laterales omnes, vbi
non ſunt decentes, inaurentur, & pictura aliqua circumcirca ornen-
tur. Portellæ cuſtodiarum lateralium clatris ferreis conſtructæ, ſicubi
lata nimis habent foramina, quamprimum intus lamina ferrea munian
tur; ne poſſit temeraria manus digitorum immiſſione ad iniuriam ſe
inferre. Ipſa cuſtodia interius veſtiatur panno ſerico, ſeu villuto rubei
coloris.

coloris. In supposito corporali Pixis locetur, in pixide supponatur corporale, in quo particulæ Sacramenti residcant: si tamen Pixis interius bene lenis, & splendida sit, ac inaurata, vt nihil asperum appareat, poterunt in ea particulę sine corporali supposito asseruari. Ad pixidem contegendam adhibeatur velum sericum aureis, siue argenteis lineis distinctum, aut alia ratione splendidum, & conueniens, quo à summo ad imum tota pixis operiatur. Vasa omnia, & opercula pixidis sint ex argento. vas pixidis intus lene, & planum sit. si pes pixidis propter Ecclesiæ paupertatem argenteus fieri non potest, fiat ex ære, tota tamen pixis inauretur.

Si custodia in Altari sit, ibidem firmetur, ne moueri loco possit, & vltra alia superius dicta de custodia laterali, pro custodia Altaris comparentur conopœa colorum Ecclesiasticorum, quę Plebani, & Curati pro temporum, & solennitatum varietate ad Custodiam contégengendam adhibebunt. colores Ecclesiastici sunt. Albus, Niger, Rubeus, Viridis, & Violaceus. Clauis Custodiæ firma sit, sit etiam pulchra, & inaurata, & cordulæ sericæ rubeæ inserta cum flocco filis sericis, & aureis conserto: atque hæc à Plebanis, seu Curatis diligenter seruetur. Intra Custodiam nihil omnino sit pręter pixidem, & Sacramentum.

Quod pertinet ad ministerium huius Sacramenti in Ecclesia, & extra obeundum; nunquam ministretur à Plebano, seu Curato, & aliis sine superpelliceo, & stola: in Ecclesia ministretur tam clericis, quam laicis, ad pectus communicantis supposita mappa nitida: vinum communicantibus non exhibeatur in Calice, aut poculo stamneo; sed poculo vitreo, vel argenteo, non tamen habente formam calicis, pro locorum, & personarum qualitate.

Cum Sacramentum effertur ad infirmos, & pixis effertur cum omnibus particulis Sacramenti, fenestella Custodiæ relinquatur aperta vsque ad reditum Sacerdotis: si vnica tantum particula Sacramenti effertur, Custodia claudatur; & redeat Sacerdos luminibus extinctis, campanula non pulsata. si plures exportauit & refert aliquam, reuertatur propter Sacramentum reuerenter, vt egressus fuerat.

Fiat Pluuiale sericum coloris albi (vbi fieri potest) quo induatur Sacerdos in processionibus, & delatione Sacramenti ad infirmos.

Cum deferendum est Sacramentum ad infirmos, primò pulsetur campana maior Parochiæ, qua moneantur confratres, & alij vt ser-

quen-

quentia, & luminibus accensis Sacramentum comitentur: deinde Sacerdos cum superpelliceo imposita humeris Stola, sumpto Pluuiali, præcedente sonora campanula, & laterna aurea maiore (quod laternonum vocant) cum lumine, funalibus, seu torticijs, vel candelis ante, & post ipsum incensis cum Sacramento procedat, aliquo Vmbellam sericam coloris rubei pro tegumento Sacramenti portante, ipsoque Sacerdote inter eundum humili, ac pressa voce recitante Psalmum Miserere tam in exitu, quam in reditu, si reportat Sacramentum ad Ecclesiam. In thalamo infirmi paretur mensa cum mappis nitidis ad formam Altaris, & in ministerio Sacramenti ritè fiant, dicanturq; omnia iuxta ordinem Sacerdotalis Romani. Vbi non fuerit pluuiale, hoc faciat sacerdos cum superpelliceo, & stola.

In montibus, viaque lutosa, & difficili efferatur Sacramentum ad infirmos in theca argentea inaurata intra bursam panno serico, seu villuto confectam, & pulchrè ornatam. Sit bursa innexa funiculo serico firmo, & à collo, dum itur, ante pectus Sacerdotis cum Sacramento pendeat: reliqua ornamenta propter locorum impedimenta omitti possunt.

In reliquis, quę pertinent ad ministerium huius Sacramenti, seruentur, quę in Sacerdotali Romano.

Particulę Sacramenti renouētur saltem singulis quindecim diebus.

Qui ex Sacerdotibus cuiuscunque officij, & gradus sit, Sacramentum sub vtraque specie ministrauerit, pręter excommunicationem, quam ipso facto incurrit, sciat se debita pœna affectum iri.

Pœnitentię Sacramentum, vt maximum est, & ad salutem assiduè peccantium necessarium, ita piè, prudenter, scitè ministrandum. De ritu, & ratione ministerij nihil ponimus hoc loco, nisi quod in Sacerdotali Romano pręscriptum est. Cum valentibus, & integris ministratur, in Ecclesia in confessionali ad hoc constructo, & in patente loco constituto ministretur. Seruentur pro huius Sacramenti ministerio, quę in pagina Confessariorum promulgata sunt. Pręterea confessionali, vbi genuflectit pœnitens, affigatur glutino pia imago Crucifixi. vbi verò sedet Confessarius in confessionali, aptè constituatur pagina casuum reseruatorum, & Confessariorum. Habeant omnes Plebani, & alij ad curam animarum approbati, Bullam in Cœna Domini Romæ promulgari solitam.

Nemo

Nemo Confessiones qualitercunque breues, quales sunt, quas reconciliationes vocant, audiat præter canonicè probatos obtenta licentia in scriptis à nobis, vel à Vicario nostro. Ad Archidiaconos declaramus non pertinere approbationem ad Confessiones, & curam aĩarum.

Nemo ex Confessarijs probatis, etiam regularibus tempore Paschatis audeat, prętęrquam in casu Iubilei, quo aliter disponeretur, ad confessiones recipere aliquem alterius Parochiæ sine licentia proprij Parochi: sed neq; ad Communionem, nisi præcedente Parochi licentia.

Præcipuum sit munus Parochorum quindecim diebus ante festum Paschatis Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ad singulas Parochiæ suæ domos accedere, & in singulis familijs exquirere numerum eorum, qui ætatis ad communionem sufficientis, & idoneæ sunt: & in libro familias, & numerum communicandorum conscribere: iuxta quem numerum parabunt frusta, seu schedulas quadratas cartæ albæ ad magnitudinem sigilli proprij, quas informatas imagine sigilli in albo sine cera conseruabunt vsq; ad tempus Communionis. Ministrata communione statim singulis singulas schedulas tradant. Transacto die octauæ Paschatis, ad singularum familiarum domos accedant, & repetant singulas à singulis schedas, & ex opposito libro pernoscentes, qui non communicarint, illos denunciabunt nobis, seu nostris Vicarijs Foraneis: vt pro Dei gloria, quod expedire videbitur, decernatur. Liber verò ipse sub custodia Plebani, seu Curati perpetuò sit.

Parochorum munus est, vt fortuitis casibus, & subitæ Parochorum necessitati præsto esse studeant: idcirco Parochiarũ distinctio facta est, & singuli singulis præfecti, vt certum vnaquæq; ministrum habeat, ad quem confugiat: neq; verò ferendum est, vt; qui fines habet sui gubernij certos; errare longius contendat, & gubernium, quod singulis periclitatur momentis, deserat: præcipimus igitur omnibus, & singulis Parochis, & Curatis, vt intra fines suæ Parochiæ domicilium, in quo resideant, habere curent. qui contumax fuerit, pœnis in eum condignis animaduertemus.

Debent Parochi, & Curati omnes benè sui muneris partes nosse; vt, quæ ex officio sustinent, fideliter exequantur. In primis autem intelligant, ijs, qui ægritudine laborant, & vel ad exitum vitæ properant, vel sanctæ patientiæ bonum adhuc non habent, operam charitatis se debere; ne, quod abusu acerbissimo percrebuit, longius serpat; vt putent, ægrotantibus si sacramentum pœnitentiæ proponatur, metu statim interituros

terituros esse; & necessariam medicinam spiritus, & conscientiæ protrahant vsque ad mortem, cum æger amissis sensibus corporis, vsuq; rationis impedito, nihil planè nouit eorum, quæ in vita commisit, & extremo conflictatur spiritu: qui dum sanitatem corporis posthabita salute animæ perperam expetunt, vtrunque miserrimè perdunt. Volumus igitur, & præcepto grauissimo omnes, & quoscunq; Parochos, Curatos, seu etiam Vicarios vbique locorum Diœcesis Aquileiensis existentes adstringimus, vt intra suam Parochiam perpetuam adhibeant diligentiam, qua ægrotantes cum primum decubuerint, pernoscant, accedant, consolentur, & spiritualia adiumenta prudenter proponant: solicitè verò post confessionem, & sanctissimam Communionem vsq; ad extremum vitæ tempus omni charitatis studio prosequantur. Curent præterea, vt Medici Bullam Pij V. de obseruandis in curatione infirmorum sibi intimatam obseruent; vt in re maxima, in qua salus animarum, & interitus versatur, nihil desiderari solicitudinis, ac diligentiæ possit. Quod si fuerint impediti, quo minus prædicta exequantur, prohibemus illis, corpus defuncti in solo sacro sepelire sine licentia nostra, aut Vicarij nostri præuia rei cognitione. Volumus autem impedimenti oppositi tempore hanc nostram prohibitionem ægri propinquis intimari per ipsos Curatos.

In sacramento extremæ vnctionis ministrando, vt in reliquis, seruentur, ij ritus, quos Romanum Sacerdotale præscribit: certus numerus cādelarum explodatur. Caueant Plebani, & Curati quicquam petant, aut exigant hoc nomine: spōtè oblatum pro elemosina liceat accipere. Qui contrafecerint, iustæ vltionis pœnam subibunt. Non expectetur, dum æger omnes animi, & sensus corporis amittat, vt ei ministretur extrema vnctio: quod sæpè docendi erunt populi, vt intelligant posse hoc sacramentum eis vel maximè fructuosum esse; si petentibus, aut piè saltem, religioseq; sumentibus tribuatur. Vasculum olei extremæ vnctionis sit argenteum, & seruetur in loco decenti: efferatur autem intra bursam sericam decentem funiculo serico appensam cum reuerentia.

In Matrimonijs celebrandis animaduertāt Plebani, & Curati, vt nulli clandestino matrimonio intersint sub pœna à sacris Canonibus indicta, & seruatis seruandis infligenda, si quid tale in hoc genere commiserint. Seruent omnia, quæ à sacro Tridentino Concilio statuta sunt in

denun-

denunciationibus, benedictionibus, & alijs. In quo, vt maximis abusibus, qua potest diligentia, occurratur; districtè mandamus omnibus, & singulis Plebanis, & Curatis sub pęna arbitrio nostro contra non parentes ferenda, vt semel in mense prima videlicet Dominica cuiuslibet mensis intra Missarum solennia integrè, & distinctè populo publicent, & declarent, ipsisq; diligentissimè obseruent Decretum sacri Concilij Tridentini sess. 24. c. 1. de reformatione Matrimonij in linguam Italicam, Sclabonicam, seu Theutonicam pro gentium, & locorum captu conuersum: quod non modo præcipimus in Parochialibus fieri; sed etiam in nostra Metropolitana, & Ecclesijs Collegiatis totius Diœcesis intra Missam Conuentualem.

Librum etiam Matrimoniorum habeant Curati, in cuius priori parte scribant matrimonia ritè factis denunciationibus celebrata: si qua intercessit dispẽsatio, scripto exprimatur, qualis sit. Nomina, cognomina, parentes vtriusq; partis scribantur cum die, mense, anno, testibus, & loco, in quo matrimonia fuerint celebrata. Cum verò sacramenta extra casum necessitatis in Ecclesia ministrari deceat, non in profanis locis; omnibus, & singulis Curatis præcipimus, & mandamus, vt matrimonia non alibi, quàm in Parochialibus Ecclesijs, nisi legitimum obstiterit impedimentum, celebrent. Impedimenti cognitionem nobis, & Vicario nostro reseruamus. In posteriorem partem libri Mortuorum nomina, cognomina, patriam, familiam, parentes separatim referant: si fuerit coniugatus, seu coniugata, cũ expressione coniugis, etiam die mortis, mense, anno, & loco sepulturæ, vt facilè internosci possit, si res ferat.

Cum autem piorum largitionibus dotatæ Ecclesiæ fuerint, vt in ijs sacra frequenter, præsertim verò festis diebus fiant: statuimus, & mandamus, obligationes celebrandi præcisè impleri debere: in quo infrascripta præcipimus obseruari. Vt Missæ sacrum, excepta nocte Natiuitatis Domini, non ante lucem fiat: non pomeridiano tempore: nihil superstitiosi admittatur. In mensa altaris coram sacerdote nihil superstitiosè proponatur: explodatur certus numerus candelarum: insolita, noua, incõuenientia longè arceantur. Omnia iuxta Rubricas Missalis Romani. Siccarum Missarum certum numerũ, & vsum omnino tollimus. In Missis nouis illiberales eleemosynarum petitiones, & alia omnia, quæ vel auaritiæ labes excogitauit, vel irreuerentia, quæ ab impietate nõ longè abest, in Ecclesiam intulit, de medio tollimus, & abolemus;

contrafacientes pro modo culpæ plectentur.

Quia verò statis horis Missarum celebratio fieri solet, ac debet, vt populus; qui ab Ecclesia per aliquod spatium distat, vel (vt est frequenter apud rusticos) hesternis laboribus fatigatus tempestiuè audito sacro ad refectionem, & quietem properat; spirituali iucunditate, & Missæ sacro recreetur; præcipimus, & mandamus Curatis omnibus, vt horas celebrandi ita obseruent, vt ad nullius instantiam populorum solitam satisfactionem fraudare præsumant, semoto abusu, qui alicubi perperam viguit, vt nobilibus locorum in longam diem obdormiscentibus, dum illorum delitijs, & corporali commodo nimium indulgetur, vniuersus dilabatur populus, & ab Ecclesia non audito sacro perturbatis animis discedat: quasi sacra pendeant à commodis paucorum, nõ ad omnium spirituale subsidium, & consolationem fuerint instituta.

Si quis vel ratione Capellaniæ, vel substitutione facta ad Capellanum, aut alio modo Ecclesiam, seu altare habet proprium, cui sit ministerio celebrandę Missæ adscriptus, eum volumus in propria Ecclesia, siue altari celebrare; nisi causa ex accidenti noua impedimento fuerit, quæ illum excusaret. Qui aliter sine rationabili causa fecerit, mulctandum decernimus pœna, quæ munus celebrandi suum omittentibus imponitur. Abusum improbamus, & præsenti Constitutione tollimus, vt ab Ecclesijs Collegiatis, aut etiã parochialibus, vel inferioribus Præfecti Missarum dimittant sacerdotes, qui celebrandi in illis munere sunt obstricti, vt in alijs Ecclesijs ad aliquorum instantiam celebrent: in eos, qui aliter facere studuerint, animaduersione iuxta illorum contumaciam processuri.

Viguit abusus superiorum, ac etiam præsentium temporũ negligentia, vt in Ecclesijs Parochialibus, & earũ filialibus, in quibus Curati per annum celebrare tenentur, nulla sit Missarum constituta Matricula, vt ignorari prorsus contingat, quæ præcisa sit illorum ad celebrandum obligatio: quod emendare cupientes, mandamus omnibus, & singulis Curatis, & Capellanis, qui proprias habẽt Ecclesias: cum Metropolitanæ, & collegiatis hæc ratio distinctè pateat: vt termino mensis in sua Sacristia tabellam confectam habeant, in qua sint obligationes Missarum celebrandarum tam in Parochiali, & filialibus, quàm in Capellis cõscriptæ: Vicarijs Foraneis rationem obedientiæ reddituri non modo in exequenda Constitutione præfata, sed etiam in ea sine dolo, & Ecclesiæ fraude perficienda.

Sicubi

Sicubi ex legatis pijs numerus Missarum ita magnus est, vt singulis non possit diebus iuxta dispositionem testatorum celebrari; vel sunt eleemosynæ ita tenues, vt oneri satisfieri non possit: mandamus, vt à Capitulis Ecclesiarum Metropolitanę, & Collegiatarũ, item à quibusuis Parochis diligentia adhibeatur, vt res ad nos deferatur, quo medicinam opportuno tempore idoneam conficere possimus.

Peregrinos Clericos sine dimissorijs proprij Episcopi, approbatione, subscriptione, & sigillo Patriarchali munitis ad celebrandum in Diœcesi nemo admittat; quod etiam in suo titulo Vicarijs Foraneis prescripsimus curandum.

Optandum, & solicitè curandum, vt minorum ordinum institutio in Ecclesia Dei neq; otiosa sit, nec omnino neglecta iaceat; cum etiam Sacri Cõcilij Tridentini Decreto statutum sit, vt ad veterem vsum, & consuetudinem Episcoporum diligentia restituatur; vt, qui ad illos promoti sunt, propria ministeria non omittant.

Præterea Sacrorum Canonum statutis decretum est, vt in pagis etiã, & villis, nedum in Parochiis Ciuitatum, & Oppidorum, Curati singuli Clericum apud se habeant, cuius ministerio ad ea vtantur, quæ modo cuiusuis etiam infimæ conditionis homines coniugati, nec habitudine animi, neque decenti corporis cultu apti, exercent, celebrationi ministrantes, Altarium ornatui, & Ecclesiæ totius cultui seruientes; cum omnia ignorent, & à re sacra, & sacris hærente alieniores omnino habeantur, & appareant: Statuimus igitur, & declaramus in omnibus Ecclesiis Curatis tam Ciuitatum, quam Oppidorum, & villarum ex redditibus, qui modo campanariis sęcularibus tribuuntur, excerpendam esse portionem, vel integrum etiam stipendium Clerico dandum, qui Sacerdoti celebranti, seu ministranti cum superpelliceo inseruiat, & comes perpetuus sit; Ecclesiam, & Altaria curet: doctrinam Christianam doceat, toti denique Ecclesiæ munera minorum ordinum obeundo præsit, & sub sui Sacerdotis disciplina, & obedientia viuat. Hunc ijdem elegant, qui campanarij electionem de iure, vel consuetudine habent; & in officio maneat, dum vel muneris sui partes diligenter obierit, vel ad Diaconatum ascenderit. electionis probatio ad Curatum loci pertineat. minor quatuordecim annis non sit à natalibus habilis, grammatices non ignarus, ad disciplinam, & peritiam litterarum non ineptus; voluntate à pietatis studio, & Sacramentorum frequentia non alienus, in habitu, & tonsura Clericali assi-

 duus,

dulus, vt spes sit, illum aliquando gradatim ad Sacerdotium peruenire posse.

Norint Plebani, & Curati illorum partes esse, die Dominico Vigilias Sanctorum, festos dies, & ieiunia, quatuor temporum incipientis hebdomadæ populo denunciare, ac de Sacro Quadragesimali ieiunio seruando iuxta præscriptum paginæ à nobis promulgatę, animos fidelium instituere; nec satis putent eorum officio fieri, nisi addant, ad quid quis teneatur festo die, vigilijs, ac temporibus ieiuniorum.

Cum Sacrorum Librorum vsus ad instituendas in primis eorum, qui alijs præsunt, mentes necessarius sit, vt inde hauriri possit, quid sit ad salutem necessarium; quid in Sacramentorum administratione expediat, qua internosci ratione possit, quod verum est, atque honestum; omnibus Plebanis, & Curatis, singulisque eorum mandamus, & præcipimus districtè, vt Sacros Libros in manibus assidue habeant, & ex ijs decerpant, & colligant, quæ alios docere possint: item frequenter legant Manuale Nauarri postremæ editionis, Summas Caetani, Medinæ, & aliorum, in primis verò Catechismum Romanum, & Concilium Tridentinum.

Vt animarum curam exercere spiritualis medici est; ita etiam Doctoris suæ disciplinæ commendatos instruere: altero ægrotantibus mederi, altero sanitatis integritatem seruare: vtroque verò gregem recta ducere in portum Cœlestium pascuorum via. Munus autem Parochi est non modo Sacramenta populo ministrare, sed reliquis bonorum morum exemplo præire; doctrinę pabulo gregem suum alere, & verbi cœlestis suauitate ad omnem pietatem excitare. mandamus igitur omnibus Curatis cuiuscunque nominis, ac prærogatiuæ sint, vt Dominicis, & festis diebus anni, exceptis ijs, quibus in eadem Ecclesia prædicatio à Patre aliquo Regulari fieret, spirituale verbi Dei pabulũ præbere populo non omittant: Prædicationis autem suæ argumenta, vel ex Homilia Euangelij Dominicæ currentis hauriant, vel ex vita Sancti, cuius dies festus agitur, quam per compendium populo proponent ad imitationem, & inuitamentum pietatis, ac deuotionis: potissimum verò ex Catechismo Romano in linguam Italicam, seu loci propriam translato aliqua de Sacramentis, illorum efficacia, fructu, necessitate; aliqua etiam ex Sanctorum Patrum dictis decerpant pro Pa-

rochia-

rochianorum captu, & vtilitate: cuius rei causa commodum erit in promptu habere Biblia, Homilias Patrum, Sanctorum Doctorum Cōmentarios, & piorum aliquot scriptorum libellos, quibus, & docentis spiritus piè institui, & eorū, qui docentur, animi facile instrui poterūt.

Christianam doctrinam ad imbuendas puerorum mentes pietate, ac religione ab Ecclesia Sancta institutam præcipimus, & seriò mandamus omnibus Dominicis diebus anni in singulis locorum Parochijs ordine, quo decet, exerceri: neque verò in Oppidis tantum, & Ciuitatibus, sed etiam in Villis: volumus autem moneri frequenter populum inter Missarum solennia Indulgentias à summis Pontificibus Gregorio XIII. & Pio V. ijs esse attributas, qui doctrinam Christianam docuerint, vt vel spirituali lucro, acrius incitentur, vel aliorum imitatione studiósius ad egregij operis executionem inuitentur. Qui ex Curatis rem necessariam pro Dei gloria, & animarum salute per negligentiam, seu contemptum omiserint, rationem se reddituros non dubitēt. Post prandium dato signo alicuius campanæ Curati pueros in Ecclesiā recipiant, & iuxta scholarum ordinem instituant: recitationes, & pia æmulandi studia disponant, vt his primis rudimentis excitetur pietatis, & religionis eximia progressio. Vbi huiusmodi scholæ adhuc non sunt institutæ, quam primum Curatorum diligentia, & prudentia instituantur. Cum autem, qui ætatis prouectionis sunt, necessaria interdum ad fidei Christianæ doctrinam, (quod summè repræhendendum est, & charitatis studio, omnique ratione emendandum) ignorent; iubemus Curatis omnibus, vt singulis Dominicis diebus post peractam sacri Euangelij declarationem, & publicam confessionem populo clara voce, & lenta prolatione recitent orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, & septem peccata mortifera, vt ab ijs, qui sunt in Ecclesia, audiantur, & addiscantur. moneatur verò populus, vt attentè subsequatur, ac deuotè discere studeat.

Post peractam Doctrinæ Christianæ exercitationem mandamus, vbi sit Clerus, & consuetudo Vesperas canendi, statim vespere canantur: vbi verò non est Clerus, Curatus peracta Doctrina statim Vesperas recitans de Breuiario dicat, & compleat. Qui ex Curatis ista neglexerint, & constitutionem præfatam non impleuerint, sciant se correctionis nostræ animaduersionem non effugituros.

Congre-

Congregationes Casuum Conscientiæ multis iam locis institutas, & non satis adhuc promotas omni studio prouehi longius cupientes: &, quod particularibus locis ordinauimus, & exequi mandauimus; in vniuersalem dispositionem redigentes: mandamus, & præcipimus singulis illas mensibus fieri debere loco, & tempore à Vicarijs Foraneis intra fines suæ Regionis præstituendo: cuius temporis, ac loci præfinitionem qui contempserint, prima vice damnentur pœna librarum duarum monetæ Venetæ: crescente verò contumacia augeatur etiam pœna: ipsos autem Vicarios præsentis Constitutionis dispositione obstrictos esse volumus, vt dictam Congregationem vocent, & casus adhibito consilio peritorum, & aliquorum ex Clero proponant: ex congregatis interrogent eos, quos indicabunt ad dicendum aptiores: decisiones fieri curent, & in libro, qui erit proprius illius congregationis, scribant. reliqua etiam vel in hac parte, vel alijs exequantur Vicarij, vt in illorum capite plenius præstituetur.

Confraternitates Sanctissimi Corporis Christi omnibus locis cum statutis per confratres obseruandis erigantur: vbi iam canonicè erectæ sunt, conseruentur, & augeantur tam in ijs, quæ ad cultum, quàm in ijs, quæ ad pietatem spectant: quod de alijs etiam Confraternitatibus seruandum edicimus, & promulgamus. Altaria Confraternitatum (excepto Altari Santissimi Sacramenti, quod non dubitamus inter alia locis omnibus eminere mundicie, & ornamentis sacris) proprijs sumptibus Confraternitatum instruantur, & ornentur iuxta illa, quæ pro alijs Altaribus mandata sunt. Si Confratres negligentes, & irreligiosi fuerint, interdictum sit illorum Altare, donec omnia, quæ mandata sunt, re impleuerint: id quod ad Curatorum diligentiam prouidere, & ad Vicarios suæ Regionis, si opus fuerit, referre spectabit.

De Ecclesiis, & pio in eis versandi modo, Altaribus, & Sacristijs.

DOMVS Dei, quam decet sanctitudo, domus orationis, & sanctitatis mundicie excellere debet, vt fiant in ea ritè diuina, & sacra; postulationes etiam, precationes, & vota Deo soluantur: hanc tanquam sponsam Parochi, & quicunque Præfecti sartam, tectam cōseruare, & non solum rebus sacris instruere, sed ijs etiam, quæ locum

decent,

decent, ornare debent. ſolum benè ſtratum ſit, parietes purgati, cultus vniuerſus honeſtiſſimus. Altaria reformentur iuxta inſtructiones particulares ſingulis datas. non conſtruantur noua Altaria, non fiant Iconæ ex pictura, aut ſculptura cuiuſcunque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ nobis inconſultis; ac, dum conſulimur, perſcribatur integra, plenaque intentio extruere volentium. Altarium longitudo ſit decem palmorum, latitudo quinque paulò minus. Gradus ſuperior, in quo conſiſtit Sacerdos celebrans, ſit latitudine, & longitudine æqualis menſę, nec preſſior, nec altior, quam vt commodè, & decenter celebrari poſſit. Antipendia omnia ſint ipſi menſę æqualia, & fiant ex quinque coloribus Eccleſiaſticis, & pro diuerſitate Feſtiuitatum, ac temporum adhibeantur. In vtroque cornu Altaris candelabra ſint ex orichalco: in medio Crux ſaltem lignea, fabrefacta, & aptè picta: ad pedem Crucis cartha orationum ſecretarum ex ijs, quæ poſtremis annis editæ ſunt: ſupra mappas Altarium extendatur tela viridis, aut violacea tegens mappas, & mundiciem Altarium conſeruans, quæ accedente Sacerdote ad celebrationem eleuetur, illo recedente iterum extendatur. Ante Altare pendeat lampas ex oricalcho, quæ ſingulis ſaltem menſibus mundetur. intra ſcabellum, ſiue baſim Iconæ, vel intra thecam Iconę, vel poſt Iconam nihil omnino ſeruetur: ſint munda oĩa, ſint expedita. A cornu Euangelij, ſicubi fuit in pariete olim Cuſtodia Sanctiſſimę Euchariſtię, & adhuc feneſtellæ pictam habent, vel inſculptam imaginem Chriſti Domini, aut inſcriptionem, ex qua colligi poſſet, ibi eſſe Sacramentum Corporis Chriſti: tollantur imagines, & ſigna huiuſmodi, ne in re maxima errandi occaſio præbeatur: in dictis feneſtellis bene munitis ſeruentur olea ſacra in vaſculis argenteis ſub ſera firma, & claui. Ampullę ſtamneæ pro vino, & aqua ad ſacrificium nunquam adhibeantur, ſed vitreæ. Thuribulum, Nauicella, caldariolum pro aqua benedicta ſint omnino in Eccleſia. Fornix, tectum, pauimentum mundicie, & cultu ſplendeat: parietes omnes ſcriptionibus quibuſcunque mundentur. Vaſa lapidea pro ſeruando oleo ab Eccleſijs aſportentur. Fruſta imaginum Sanctorum, ipſæque imagines, quę vetuſtate conſumptę ſunt, & alia Eccleſiaſtica lacera, ſeu fracta quęcunque combuſtibilia incendantur, & cineres in piſcinam Sacrarii mittantur.

Confeſſionalia in ſingulis Eccleſijs locentur, & tot ſint, quot ſunt Sacerdotes, qui confeſſiones audiunt: locus confeſſionalium ſit in pateti. In ingreſſu Eccleſiæ à cornu Euangelij conſtituatur fons ſacer Baptiſ

mi:

mi:sit decens, & mundus; habeat craterem vitreum, seram firmam, o-
perculum ornatū. à cornu Epistolæ ex opposito sit vas lapideum aquæ
sanctæ cum aspersorijs. Altaria omnia extra Ecclesias destruantur, &
catenæ ferreæ, quibus Ecclesiæ quædam cinguntur, auferantur. Piscina
Sacrarij sit in angulo Ecclesiæ iuxta fontem baptismalem: sit in formā
armarioli in pariete: habeat foramen in pariete, intra quod influat aqua
per secretos tubos in Cœmeterium: portella sacrarij sit munita sera, &
claui custodienda à Plebano. Capsæ omnes cadauerum in Ecclesijs
destruantur, illatis cadaueribus intra solum sacrum, aut intra sepulcrū;
nec permittatur, vt iterum fiant: si fiat contra præsentem Constitutio-
nem, ex nunc declaramus Ecclesiam Ecclesiastico subiacere interdicto,
quamdiu capsæ destructæ fuerint: sepulcra verò in solo Ecclesiæ, quæ
fieri interdum contingit, volumus presso opere exstrui, vt nihil emi-
neat, quod incedentibus impedimento sit. Pauimentum Ecclesiæ serue-
tur integrum, nec rumpatur, nisi ob sepulcrum muro, & fornice con-
struendum. Cruces, calices, nomen venerabile Dei, imagines Dei, &
Sanctorum insculptæ, seu inscriptæ sepulcris, vel in solo Ecclesiæ, quā-
primum omnino tollantur; neque ligneæ Cruces mortuorum tumulis
in Cœmeterijs figantur; ne sacrorum signorum conculcatione irreue-
rentiæ culpa committatur.

Fenestræ Ecclesiarum, quibus à priuatorum domibus in Ecclesiam
introspicitur, vitris, & clatris ferreis muniantur, nec aperiantur.

Sumptus omnes, qui ad ornanda Altaria necessarij sunt, fiant ab ijs,
quibus ante fieri consueuerant.

Sacristiæ parietes habeant nitidos, & integros ab humore influente:
circa Sacristiam humus extra deprimatur, vt solum interius altius sit,
quam exterius, etiam si pauimentum Sacristiæ eleuandum esset. Sit in
Sacristia lauacrum pro Sacerdotibus ad celebrandum accedentibus cū
mappa nitida: sit Oratorium pro animi præparatione: sint Armaria, &
arcæ aptè disposite: sit mensa siue banchus pro Sacerdotibus vestimen
ta sacra sumere volentibus, non incommodus, & ibidem statuatur car
tha pro sacrarum vestium sumptione cum orationibus. Albæ, & cæte-
ra sacra indumenta non lacera, non sordida, non indecentia. Colores in
casula, stolis, & manipulis ex Ecclesiasticis coloribus esse debent aut al
bi, aut nigri, aut rubri, aut viridis, aut violacei, & adhibendi sunt pro so
lennitatum & temporum varietate. Calices purgentur circa labrum:
intus, & extra sint omnino integri. Vela, quæ ad operiendos calices ad-
hiben-

hibentur, ſint quinque colorum Eccleſiaſticorum, & pro ratione temporum, & feſtiuitatum illorum vſus ſit. Corporalia ſint perfectè quadrata, ſint munda, latitudinis, & longitudinis trium quartarum ad minus: burſæ corporalium ſint magnitudinis aptæ ad recipiendum corporalia: ſint ex panno ſerico, & Eccleſiaſticos colores habeant. Vnuſquiſque calix habeat ad minus duo corporalia, vt altero ſordeſcēte alterum habeatur pro vſu calicis. Purificatoria ſint quatuor pro quocunq; calice; ſint quadrata, & latitudinis vnius quartæ, cuius menſuræ fiāt etiam Pallæ corporalium, vel paulò minus. Sint ad minus duo ſudariola pro quocunq; calice. Tela corporalium, purificatoriorum, & ſudariorum ſit decens, & conſeruetur mūda. Sacriſtiæ habeant catinum pro prima ablutione corporalium, & purificatoriorum, per Sacerdotem, ſeu Subdiaconum perficienda, & aqua ablutionis proijciatur in piſcinam ſacrarij. Miſſalia non tolerentur, niſi ſint ex correctis poſt Concilium, & Bullam Pij V. ſanctæ recordationis.

Quod de genere prohibitorum non eſt, & profanis locis ſine peccato exerceri poteſt, hoc idem ſacris exerceri minime cōuenit: monemus igitur, atque etiam serioſè requirimus omnium, & ſingulorum Parochorum, & Curatorum pietatem, ac religionem; eiſdemq; in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis arbitrio noſtro pro modo culpæ infligendis pręcipimus, vt nullo quocunq; prætextū, ſolennitate, actione, etiam ſacra, & alicuius ſacramenti miniſterio permittant, in ſolo ſacro quidquam venale cuiuſcunq; conditionis, aut naturę conſtitui, aut vendi, ſed vel nundinarum tempore, vel alio quouis populorum concurſu ab Eccleſia & ſolo ſacro venalia cuiuſcunque generis omnia, & ſingula, licet minimi pretij ſint, amoueant, & opportunis remedijs, etiā inuocato brachio ſeculari deducant, & auertant: multo verò magis ab Eccleſiæ veſtibulo, ac toto Eccleſiæ ambitu quocunq; pietatis, ac religionis colore mercenarios actus exerceri prohibeant. Quòd ſi Dominus ea, quæ ad ſacrificia in templo peragenda neceſſaria erant, è templo ſuſtulit; non ſacrificia damnans, qui etiam par turturum, aut duos pullos columbarum offerri pro ſe voluit, vt legem impleret; & mercaturam, & auaritiam à domo ſacra funiculo de flagellis facto eiecit, & effudit, quanto eos grauius coercuiſſet, qui nō tam principaliter neceſſaria ſed deuotionem animi offerentis tantum indicantia in Eccleſiam, vel loca Eccleſię vnitim hærentia inferunt, vt eadem ibi vendant? cum ex ipſa

materia, quę venalis proponitur, & loco, in quo proponitur, satis colligere quisq; possit, aliquid subesse cupiditatis, & indecentiæ. Idcirco omnibus, & singulis Capitulis, Vniuersitatibus, Ecclesiarum Rectoribus, Parochis, Curatis, & Capellanis graui pręcepto inhibemus, atque etiam sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ prohibemus, ne in ipso vestibulo Ecclesiæ, multo verò minus in Ecclesia candelas, aut cerea membra, seu statuas, aut pictas tabellas, aut alia quęcunque signa vendere pręsumant, aut vendi permittant. Si quid est, quod vel ad cultum spectet, vel ad deuotionis, ac pietatis tam conseruandę, quàm augendę statum pertineat, id extra solum sacrum, loco apto pro aduenarum commodo constituatur, vt, quod non decet, amoueatur, & rei sacrę dignitati consulatur.

Quod fuerat antiquis temporibus piè institutum, posteriorum temporum iniquitate à recto sui ordine instituti deflexit. Vigilātibus enim populis apud Ecclesiam, & memorias Sanctorum nocturno etiā tempore frequentantibus, nihil fuerat olim vel petulantia corruptum, vel sacrilega temeritate fœdatum; quod posteriorum seculorum nequitia, & grauiorum malorum commissione obsoleuit: adhuc tamen audiuimus quibusdam locis mulieres vigilijs Sanctorum in Ecclesijs pernoctare: quod ne fiat, neve pretextu pietatis grauius aliquid contingat: districtè mandamus omnibus Parochis, & Curatis, seu Capellanis quarumcunque Ecclesiarum nostrę Diœcesis, vt pręfatum agendi vigilias abusum omnino tollant, ac tollere, & delere modis omnibus curent: quod si vel per conniuentiam, vel per affectatam negligentiam, cum occurrere possent; periculosam rem alere videbuntur, norint se districtam vltionem subituros esse.

Ecclesiam, in qua fiunt sacra, & cultus diuinus ex ordine peragitur, omnibus vacare impedimentis conuenit, ac decet: idcirco concursationes pauperum quorumcunq;, etiam miserabilium, qui celebrantibus, & orantibus molestiores sunt, quam vt ferri aliquando possint, ab omnibus Ecclesijs, dum sacra fiunt, arcendas decernimus: mandantes omnibus Capitulis, Parochis, Curatis, & Capellanis, vt mendicantes huiusmodi ab Ecclesijs expellant: permittant verò in Ecclesię foribus eleemosynę petendę causa consistere; modo ne vocibus obstrepant, vt exaudiantur, & diuina perturbent.

In

In Ecclesia, quæ domus est orationis, piè, sanctèq; versari decet: debet autem esse perpetua Parochorum cura, operam suam in eo ponere, vt in Missæ sacro faciendo populus non mistè, sed distinctè assistat. in parte proxima Altari omnes mares; post mares fœminę; ne, confuso intra Ecclesiam sexus ordine, irrepat aliquid mali, quod plerunq; euenisse dolendum, ac, ne vnquam contingat, prouidendum. fœminę verò in Ecclesiam iuxta doctrinam Apostolicam, nisi tecto capite tã puellę, quàm coniugatę, & viduę non ingrediantur: quod debent Curati, & Prefecti Ecclesiarum sępè monere, & obiurgationibus prudenter, ac diligenter curare, vt modestię, & pietatis temperamentum locis omnibus seruandę, in Ecclesia pręsertim diligentissimè custodiatur.

Deambulationes, excursationes, & peruicacem curiosorum petulantiam longè ab Ecclesia arcendam decernimus: item acta iudicialia, tractatus seculares, instrumentorum, & contractuũ quamcunq; speciem: item repositiones mercium, tabularum, & quorumcunq; profanorum in Ecclesijs omnino fieri prohibemus. Monemus etiam Regulares, vt idem in suis Ecclesijs faciendum, & seruandum curent.

Inoleuit abusus, ille quidem à memoria, ne dum consuetudine fidelium tollendus, vt solennioribus quibusdam diebus vel Dedicationis Ecclesiæ, vel die Natali Sancti titularis, vel Patroni; cum frequens populus ad Ecclesiam solennitatis, ac deuotionis causa venit, vt veniam à Deo peccatorum precetur, votaque sua humiliter offerat, eiusque misericordiam in suam tutelam, & subsidium imploret; non sine Dei offensione, & scandalo bonorum choreas ducat, & gentilitiis quibusdam se ritibus totum dedat: vnde peccatorum committendorũ occasio non leuis; deinde blasphęmiæ, ebrietates, & periculosę interdum rixæ, & homicidia subsecuntur, & festi præsertim dies præpotentis Dei laudibus destinati, ipsius summi Dei graui cum iniuria traducuntur ipsis penè Ecclesiarum foribus profanatis. Idcirco omnibus, & singulis Ecclesiarum Parochis, Curatis, & Vicariis districtè pręcipimus, & sub interminatione Diuini Iudicii mandamus, vt, quantum possunt, tantum nitantur, quo abusus, & corruptela huiusmodi tollatur: semel autem singulis mensibus primo Dominico die mensis Decretum hoc populo promulgent, & intimare studeant: ipsi etiam pro viribus curent, vt populum, Parochianos in primis suos ab huiusmodi corruptela auertant, & pro virili abducant, cum dies festos ad gloriam Dei institutos sine

ſcandalo,& peccato ducere oporteat. Magiſtratus,& Dominos quoſ-
cunque Iuſdicentes temporales per miſaricordiam Dei obſecramus,ne
prętextu Iuriſdictionis tuendæ,quæ,ſi timore Dei,& reuerentia Sacro-
rum non nitatur,incerto nutare ſtatu,& concidere facillimè ſolet;gra-
ue hoc piaculum defendere,& auctorizare conentur: illis enim omni-
bus,& ſingulis edicimus,& obteſtamur coram Deo,& Angelis,& ho
minibus, omnia ſcelera,& peccata,quæ pręmiſſorum occaſione patra-
ri contigerit,illis,inquam,qui diem ſanctum,& locum ſacrum, vel ſa-
cro hærentem violarint,ac temerarint,ſeu cauſam deliberatè dederint,
vt violari,ſeu temerari poſſet,tributum iri. Capitulis verò,Collegiis,
& vniuerſitatibus Eccleſiaſticis tam virorum,quam mulierum, qui Iu-
riſdictionem habent temporalem,ſub pęna interdicti ingreſſus Eccle-
ſiæ;officialibus autem dictarum vniuerſitatum, ſiue Capitulorum, &
Collegiorum, ſi Eccleſiaſticæ perſonæ ſint, ſub excommunicationis
pęna prohibemus, ne talia permittant, cum impediendi poteſtatem
habeant:ne zelo timoris Dei,& ſalutis animarum ſtudio ad maiora cō-
pellamur remedia confugere.

Indulgentias, quæ feſtis quibuſdam diebus, aut alijs etiam propo-
nuntur,& vnum, vel plura habent ſigilla, ſi clauſula ſit interiecta.
Porrigendi manus adiutrices: vt erat ſuperiorum temporum frequens
conſuetudo,ſublatas per Bullam Pij V. fuiſſe declaramus,& per conſe-
quens ab Eccleſijs,& Sacriſtijs tolli omnino iubemus.

De Reliquijs Sanctorum.

SANCTORVM Reliquias,quæ viua fuerunt membra Chriſti
Domini,& Spiritibus Sancti templum, in honore haberi perpe-
tuò præcipimus, ac mandamus: locus in primis decens ſingulis in Ec-
cleſijs aptetur, ipſæ verò intra pannum ſericum conuenientis coloris
inuolutæ nunquàm niſi accenſis candelis populo oſtendantur. Cure-
tur,vt thecis mundis,vel ex ebore,vel ex ligno aurato, aut etiam ex ar-
gento,vbi facultas ſuppetit,chriſtallo aptè inſerto conſeruentur, & ita
publicè proponantur: quod Parochorum præcipimus pietate curan-
dum,& Vicariorum Foraneorum diligentia exequendum. Reliquias
nouas prohibemus quacunque ex regione,vel à quacunque perſona
allatas

allatas populo oſtendi nobis inconſultis, ac rei veritate nondum cogni-ta: quod ſi quis, vel Parochus, vel Præsbiter cuiuſcunque conditionis ſit, aliquid contra conſtitutionem præſentem facere, aut attentare conetur, nouerit ſe pęna conuenienti mulctandum eſſe.

Nemo etiam Regularis, aut quo vis titulo exéptus, nouas Reliquias recipere, vel proponere audeat, niſi prius à nobis recognitæ, & approbatæ fuerint.

De bonis, & iuribus Eccleſiarum tuendis.

VT Eccleſiarum bona, & iura integrá conſeruentur, ne vel temporum iniuria, vel vſurpantium cupiditate; quorum inſidijs vndique circumueniuntur; pereant, mandamus, & ſeriosè præcipimus omnibus, & ſingulis Prælatis, Capitulis, Vniuerſitatibus, & quocunque titulo beneficiatis, atque etiam adminiſtratoribus bonorum, & fructuum quacunque ratione ad Eccleſias ſpectantium, vt librum diligenter conficiant, in quo bona, redditus, cenſus, domos, terras, & quæcunque iura Eccleſię diſtinctè, & clarè conſcribant: ſi confines habent, librum confinium ordinent partitis libri redditúum aptè ex parte altera reſpondentem: ſi non habent, quam primum curent conficiendos, & libro modo ſupraſcripto compræhendendos.

Cum verò ad rectam adminiſtrationem non minus pertineat poſſeſſa conſeruare, quam amiſſa, aut vſurpata recuperare; præcipimus omnibus, & ſingulis, vel ratione tituli, vel iure adminiſtrationis Eccleſiaſtica bona, ſeu redditus tractantibus, ſeu gubernantibus, vt ſinguli ex ſuis libris partitas, quæ non exiguntur, decerpere, & in libellum particularē referre current: poſtremò ſuper earum ſingulis experiantur non minus prudenter, quam diligenter, vt amiſſa, vel vſurpata iuris medijs recuperent; in quo ſi minus, quam debent, vrſerint, Deo ſe rationem, & nobis reddituros non dubitent. recuperationis autem ad ſingulas partitas nota adſcribatur; & ipſæ partitæ inter alias, quæ exiguntur, deinceps referantur.

Locationes bonorum Eccleſiaſticorum vltra triennium ſub pęna à iure ſtatuta fieri (quod hactenus perperam factum aliquando comperimus) prohibemus: permutationes bonorum Eccleſiæ ſine diſpenſatione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, infeudationes, & emphyteuſes contra ſacrorum Canonum ordinationem attentari non debere, edicimus

atten-

attētata in contrarium caſſa, & nulla declaramus, & quatenus opus ſit, etiam irritamus, caſſamus, & annullamus, &c, qui contra fecerint, obnoxios pœnis iuris declaramus.

Vt autem vſurpatorum ſacrilega cupiditas ſtatum agnoſcat peruerſitatis, & à malo deſciſcat, in omnibus Eccleſijs in qualibet tertia Dominica cuiuſlibet menſis, mandamus intra Miſſarum ſolennia promulgari populo Decretum Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 22. de ref. in Italicam linguam conuerſum: Confeſſarios verò omnes ſeriò monemus, vt pœnitentes ſuper vſurpationibus præfatis confeſſionum tempore examinare ſtudeant.

Interdum fit, quod non ſine ſcandalo bonorum, & graui animi dolore recordari poſſumus, vt tam Vniuerſitates, quàm perſonæ ſingulares, ſi quid interdum difficultatis, aut controuerſiæ extra ordinem pro Eccleſiarum re tuenda oritur; nè præſentis pecuniæ cōmodum amittant; pro futuris impenſis aliunde pecuniam (vt aiunt) ad intereſſe ſumant, & ipſa bona Eccleſiaſtica hypothecæ ſubijciant, quę poſtea multo ſerius, quàm dignitatis, & pietatis ratio poſtulat, redimant: cui abuſui occurrentes diſtrictè præcipimus Vniuerſitatibus, & Collegijs ſub pœna excommunicationis prohibentes, nè hypothecas rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum facere audeant, niſi grauiſſima neceſſitas, eaque nobis propoſita, & probata vrgeat, & vtilitas euidens Eccleſiæ ſuadeat. hypothecas, & obligationes alio quocunque modo factas, & faciendas irritamus, & nullas declaramus.

Auaritia, quæ eſt Idolorum ſeruitus, aliena iniquius rapiente, & ad id, quod ſuum non eſt, cupiditatem, & manus extendente, ne dum proprium cupidius retinente, quàm Chriſtianam decet charitatem; ferendum non eſt, vt cum iurium Eccleſiaſticorum iactura, qui percrebuerant, abuſus perſeuerent, & progrediantur. Fit autem, vt adminiſtratores redditum, & cenſuum Eccleſiaſticorum multa ad commodum ſuum trahant, &; dum factis rationibus adminiſtrationis debitores apparent; tum pro eo, quod debent, cenſum liuellarium ſuper ſuis bonis Eccleſiæ conſtituant; ac, vt ſuæ cupiditatis ſolatium in promptu habēt, ita facile adducuntur, vt plura in vſus proprios inſumant, quàm in Eccleſiæ commodum: alterum ſequitur, vt omnes certatim Eccleſiarum adminiſtrationes cupidè potius, quàm ambitioſè quærant: cum liuellationes etiam huiuſmodi à parte venditoris iniquæ, à parte emptoris minus licitæ appareant; quod ex Bulla Pij V. de cenſibus ſatis liquet.

Idcir-

Idcirco opportuno remedio huiusmodi malo occurrentes, primò declaramus inhabiles omnes, & singulos cuiuscunque conditionis, nominis, ac tituli bonorum Ecclesiasticorum administratores, qui sunt adhuc debitores, & debita non solidarunt, ad eandem administrationẽ recipiendam, donec, quod debent, integre persoluerint: eorundem verò electionem, tanquam non legitimam, & contra iuris ordinem, & rationem factam, cassam, & nullam declaramus, & quatenus opus sit, etiam irritamus, & annullamus. secundò liuellationes quascunq; per debitores Ecclesiarum, aut alios, modo, quo præfertur, factas, nullas pronunciamus: cum contra Bullam Pij V. initæ fuerint. tertiò filios, aut hæredes debitorum iam defunctorum, donec integram summam defunctorum nomine debitam persoluerint, inhabiles ad administrationem Ecclesiarum, quibus aliquid debent, dicimus, & declaramus.

Graue est à Sanctuario iniquitatem prodire, & inde iniurias oriri, vnde ius oriri debuit. aliquando enim fit, vt in redemptione aliquorum censuum redimibilium beneficiorum, seu Ecclesiarum, affrancatores sortis principalis pecuniam Ecclesiæ, seu beneficiato persoluant: illa vero in manu recipientis, qui præsenti inhians commodo, futuri floccipendit damni perpetuam iacturam, pereat: quod ne fiat, (vt factum damnamus, & illos, qui talia fecerunt, refectioni obnoxios corã Deo, & hominibus declaramus) omnino prohibentes sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sine alia declaratione ipso facto incurrenda præcipimus omnibus, & singulis beneficia quæcunque Ecclesiastica habentibus, & in posterum habituris, atque etiam administratoribus bonorum, seu redditũum Ecclesiasticorum; cum casus inciderit, vt aliquis censum, quo tenetur, redimere velit; statim Vicarium Foraneum regionis suæ moneant; ille verò ad nos rem quam celerrimè perferat, quo beneficiorum, & Ecclesiarum indemnitati consuli rectè possit.

Quia verò in Villis inter rusticos pauci sunt, qui legere, & scribere sciant, administrationes tamen Ecclesiarum suscipiunt, qui nec acceptum scribere, nec impensum norunt: Idcirco statuimus, vt in quacũq; electione Camerariorum, vel administratorum Ecclesiæ semper intelligatur Camerarijs electis adiunctus Curatus loci, qui vnam ex clauibus horrei, canipæ, & capsæ pecuniarum tam ex ressiduis, quam ex oblationibus collectarum habeat: accepta omnia, & singula conscribat, impensa verò distincta, & clara scriptione notet, vt rationum tempore omnia inspici, & perpendi pro iustitiæ implemento possint: aliter fa-

ctum

ctum tam in electione Camerariorum, quam in rationum redditione irritamus: vt etiam vlterius à Vicarijs Foraneis moniti pro rei grauitate prouidere cupiamus.

Ecclesiarum immunitatem etiam in hoc; ne quod Ecclesię parieti ędificium profanum adiungatur; mandamus omnino seruari. In Cęmeterijs nihil profanum fieri permittatur vel extensione linteaminum, coriorum, aut aliarum rerum, vel pascuatione bestiarum, vel vinearum plantatione; id quod pluribus locis tam in Visitatione, quam extra prouisum à nobis propositis etiam pœnis fuit.

De Festorum dierum Sanctificatione.

FESTOS dies in honorem Dei, & Sanctorum eius institutos ad gratias Deo agendas de beneficijs, quæ à liberalissima eius manu accepimus, veniam erratorum precandam, & opem diuinam implorandam seruari decet, vt omnium seculorum memoria etiam veteris testaméti pagina testatum habemus: quo magis debemus seruare nos, qui in lucis veritate versamur, quàm ij, qui in vmbra futurorum ante solis ortum sedebant. Tempus autem diei festi in audiendis concionibus, Missæ Sacro, & Diuinis Officijs ponendum est; non in commessationibus; multo minus peracto prandio ad saltationes, & vanitates declinandum, cum potius sit ad Ecclesiam confugiendum ad vespertinas horas audiendas, & nomen Dei concorditer, & deuotè. vel silentij meditatione, vel vocis exercitatione laudandum.

Cum verò festi dies Dominico die in Parochialibus Ecclesijs populo denunciandi sint; Parochis omnibus districtè præcipimus, vt in Parochialibus Ecclesijs omnibus Dominicis diebus anni (non obstante quauis consuetudine contraria, quam omnino sublatam dicimus, & quantum attinet ad præsentis Decreti executionem, tollimus, & abolemus) Missam celebrent, & festos dies, Vigilias, ac tempora ieiuniorum populo promulgent, eundemque doceant, quæ seruanda, & quomodo seruanda sint: in eos autem, qui defecerint tam in Missa, quam in alijs, pœnis seuerioribus animaduertemus. populum verò monendum, & frequentius incitandum mandamus, vt Dominicis saltem, ac festis diebus ad Parochialem suam accedat, & ibi Missæ sacrum, & concionem audiat.

Grauè

. Grauè omnino, vt, quæ ad gloriam Dei, & salutem animarum constituta sunt, humano quodam ritu, & obseruata consuetudine negligantur. Solent Viduæ post mariti obitum intra annum domo non exire, nec etiam Missæ audiendæ causa, aiunt, doloris testandi gratia: at verò non maior debet esse cura doloris; quasi spem Resurrectionis non habeamus; quàm sit studium pietatis: nec diligentius debet Vidua tempus luctus seruare, quàm Sanctæ Ecclesiæ præceptis parere: præsertim cum non vere luctus perpetuus domi seruetur, neque contra honestatē sit, ad Ecclesiam accedere, vt pro mariti requie oretur: cui minus suffragamur, cum per inobedientiam peccamus, vel obedientiæ legem desecrimus. Alterum est malum; vt puellę nubiles tàm paulò minores, quàm multò maiores intra septa domorum permaneant, vt nunquam, nisi bis, aut ter in anno ad Ecclesiam exeant: fenestris tamen studiosius assistant, & ad choreas exire non vereantur. Durum, & periculosum vitæ genus: vtinam homines saperent, intelligerent, ac nouissima prouiderēt: quos abusus, licet iam inueteratos, cum abolere maxime cupiamus: omnib⁹, & singulis vtriusq; sexus Christi fidelibus per misericordiam Dei obtestamur, vt gentilitios ritus exuant, & charitatem Christi induant, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: sciant verò in conscientia tutos apud Deum non esse, qui humanis, & triuolis quibusdam se commentis tueri student: eos verò, qui familijs præsunt, rationem Deo etiam de ijs, quos ad bonum non adduxerunt, reddituros esse; multo verò magis de ijs, quos à bono auerterūt. Sublatis igitur supradictis obseruationib⁹, vel Viduitatis, vel nubilitatis, quas Christiana pietate indignas putamus, & pro talibus pronunciamus, ac declaramus: omnibus Parochis, & Curatis tam Ciuitatum, quàm Terrarum, & Oppidorum, ac etiam Villarum præcipimus, vt populo inter Missarum solennia abolitionem, & annullationem huiusmodi corruptelæ promulgent, rei qualitatem, & circumstantias doceant, & cōfessionum tempore partes illas sustineant, quæ pastorem, & patrem decent: si negligentes fuerint, rationem pro suis ouibus reddituri.

Si quando inciderit festo die mortuum aliquem humari, omnino præcipimus, Curatos quoscunque Missam de festo peragere; & sacro peracto, corpus in Ecclesiam inferri, ac factis exequijs de more sepeliri: prohibemus autem districtè mortui sepeliendi causa, aut officium festi deferi, aut Curatos à sua Ecclesia non peracto festi sacro discedere, etiā sub pœnis ad arbitrium pro modo culpæ imponendis.

Festos dies indicimus obseruandos.

Mense Ianuarij.

Circuncisionis Domini.

Epiphaniæ Domini.

Mense Februarij.

Purificationis Beatæ Mariç Vig.

Matthiæ Apost.

Mense Martij.

Annunciationis Beatç Mariç Virginis.

Paschatis Resurrectionis Domini cum duobus sequentibus diebus.

Mense Aprilis.

Marci Euangelistæ.

Mense Maij.

Philippi, & Iacobi Apostolorum.

Inuentionis S. Crucis.

Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi.

Pentecostes cum duobus diebus sequentibus.

Corporis Christi.

Mense Iunij.

Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.

Petri, & Pauli Apostolorum.

Mense Iulij.

Hermacorç, & Fortunati.

Mariæ Magdalenæ.

Iacobi Apostoli.

Mense Augusti.

Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi.

Laurentij martyris.

Assumptionis Beatæ Mariç Virginis.

Bartholemçi Apostoli.

Mense Septembris.

Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Matthçi Apostoli.

Michaelis Archangeli.

Mense Octobris.

Iustinç Virginis, & martyris.

Simonis, & Iudç Apostolorum.

Mense Nouembris.

Omnium Sanctorum.

Martini Episcopi.

Andreç Apostoli.

Mense Decembris.

Thomç Apostoli.

Natiuitatis Domini nostri.

Stephani Prothomartyris.

Ioannis Apostoli, & Euangelistç.

Innocentium.

Dies

DIES autem festos, qui locorum particularium deuotione, aut voto coluntur; obseruationi, & venerationi fidelium celebrandos relinquimus, atque etiam celebrari mandamus.

Et preter Vigilias in Calendario Romano cum ieiunio designatas, Vigiliam Beatissimorum Sanctorum Martyrum Ecclesię, & Diœcesis Aquileiensis Patronorum Hermacorę, & Fortunati indicimus futuris temporibus seruandam.

De Canonicis, & Mansionarijs.

CANONICORVM est inter cęteros, qui militię Ecclesiasticę ascripti sunt, eminens apud nos pręrogatiua: inter ipsorum Canonicorum Ecclesias ordo quidam, vt, qui in Metropolitana sunt, præsideant cæteris: qui verò in Collegiatis gradum suum teneant. hi tamē meminisse debent, vt dignitate, & officio præsunt, ita omnium virtutū splendore, vitæ, & morum integritate, pietatis laude eminere debere, vt non sit personarum potius, & loci prærogatiua, quàm virtutis, & meritorum: ac, vt horum frequentius opera, & ministerio indigemus, atque vtimur, quippe qui propiore quodam vinculo ad nos pertinent, & gubernij Ecclesiastici nobiscum obire munus pro temporum, locorum, & facultatum ratione debent: ita grauius repræhendendi, qui, cum superiorem apud nos locum obtineant, infra alios morum, studiorum, & actionum demissione censentur.

Propria Canonicorum munera in Ecclesia interessentiæ, diuinorumque officiorum tempore obeunda, Constitutionibus Visitationis satis expressimus, quas iterum intimamus, quatenus opus sit, & non aliter, & pro intimatis etiam in Synodo declaramus, vt tam in ordinibus Præbendæ annexis suscipiendis, quàm in ordinum executione loco, & tempore præstanda, non putent se conscientiæ, & iustitiæ satisfacere, nisi cum honore executionem etiam oneris coniunxerint.

Chori locum, in quo sedent, diuinis laudibus, Psalmodiæ concentui, sacrorum celebrationi destinatum Canonici ita teneant, vt nihil putent à re sacra alienius, quàm si nugis, rerum inanium (turpia enim à locis etiam secularibus abesse debent, nec putamus huius generis ꝓponi aliquid, quo possit grauius diuinæ clementiæ bonitas offendi) tractationibus, & colloquijs operam dent: quibus chori psalmodia, & aliorum impeditur deuotio: quæ sunt ad rem pręsentem, agant; illud agere di-

ſcant, ſtudeant, attendant: alia omnia à re penitus aliena, & loco, & tempore, & perſonis indigna.

Qui ad Canonicatum promouentur, cui annexus eſt ſacer Ordo, & ætatis legitimæ non ſunt ad ordinem tempore ſtatuto ſuſcipiendum; ſi diſpenſatione Apoſtolica non fulciantur, eos declaramus inhabiles ad titulum recipiendum: Quod volumus tam de præteritis, quàm de futuris eſſe dictum. Cum verò etiam ſacri ordines Manſionariarum Præbendis ſint adiuncti, ex nunc declaramus nullam quamcunque collationem, aut prouiſionem de Manſionaria faciendam ei, qui ætatem legitimam non habet ordinis ſacri ſuæ Præbendæ intra tempus à iure ſtatutum ſuſcipiendi, quemadmodum inhabiles ad Manſionariam dicimus, & pronunciamus eos, quibus ſacrum ordinem Præbendæ attributum per ætatis impedimentum ſuſcipere non licet. Quod item ſtatuimus de ijs, qui ad Capellanias ſeu Capellas promouentur; nè abuſus progrediatur, qui locis quibuſdam irrepſit, vt pueri multo minores, quàm vt promoueri per annos aliquot ad Sacerdotium poſſint, ad beneficia ſimplicia, quæ ordinem, & miniſterium Sacerdotis annexum habent, promoueantur.

De ordine Chori ſeruando, vt Canonici, & Manſionarij ſuo loco ſedeant, ſtent, genuflectant, ſacris intendant, ſatis multa particularibus Conſtitutionibus ſtatuta ſunt, quæ repetere neceſſarium non eſt: tantum mandata, & ordinata ſeruent: ſi quid addendum erit, ſuo tempore fiet.

Ab vnionibus Beneficiorum quorumcunque Canonici, & Capitula abſtineant; ſi quid hactenus non ritè factum, emendetur.

Statis horis in Chorum omnes Canonici, & Manſionarij conueniãt; qui extra Chorum eſt, pro non intereſſente habeatur, quem non intereſſentem, nec dignum, qui diſtributionum particeps ſit, declaramus, quamuis intra parietes Eccleſiæ ſit, & diuerſetur intra ipſam; nõ enim eſſe intra Eccleſiam, dum fiunt ſacra, eſt hoc intereſſe: ſed intereſſens verè, & propriè eſt, qui in Choro eſt, & ore, & animo diuinis intereſt.

Graue eſt, mali exempli, corruptelæ non ferendæ, vt, ſi quis ex Canonicis, aut alijs, qui de menſa diſtributionum lucra percipiunt, reus criminis coram nobis ſiſtitur, licet ſententia declaretur nocens, & reus, ac pœna digna plectatur; Capitulum mendicatis ſuffragijs, ambitioſa ſe cupiditate peruicacius inferente, lucra ei omnia diſtributionum condonet, quæ reatus tempore, ſi diuinis aſſiduè interfuiſſet, lucrari potuiſſet

tuiſſet, cum intereſſentiam non impeditus alias omittere ſolitus eſſet. à quo duplex oritur corruptelæ malum; alterum, vt reus lucretur, quod ſi reus non fuiſſet, lucratus non eſſet; alterum, vt, qui Eccleſiam ſua culpa propter crimen non frequentauit, & pro commiſſo crimine abſuit, & pœna damnatus eſt iuſta, donatione Capitulari, tanquam ſtipendio foueatur, & diſciplinam non agnoſcat, eluſa Prælati iuriſdictione, pœna, & correctione. Quod ne fiat, modis omnibus prouidentes ſtatuimus, & declaramus: quandocunque contingat, vt aliquis Canonicus, aut alius coram nobis, vel ex denunciatione, vel accuſatione, vel officio inquiſitus, abſolutus omnino fuerit, eum integram portionem omniũ ſuarum diſtributionum pro toto reatus tempore habere, & percipere poſſe ſine vlla diminutione, cum ſine culpa ſua abſuerit ab Eccleſia: ſin verò in aliquo vel minimo ob crimen obiectum condemnatus fuerit, per conſequens diſtributionum lucris priuatum intelligi debere, ad quorum perceptionem nulla volumus ratione poſſe reſtitui. Capitulis autem Eccleſiarum diſtrictè inhibemus, quidquam contra conſtitutionis huius tenorem attentare, aut facere: quod ſi ſuper præfatis diſtributionibus donationem, aut remiſſionem, ſeu quamuis diſpoſitionem fecerint, quo minus cœteris, qui ſeruierunt Eccleſiæ, accreſcant; ex nunc, prout ex tunc declaramus, primò diſpoſitionem huiuſmodi cuiuſuis tenoris, ac formæ ſit, nullam eſſe, & pro nulla haberi debere: ſecundò ex nunc, prout ex tunc declaramus portionem illam donatam, vel quocunque modo remiſſam ad Capituli diſpoſitionem non pertinere, nec pertinuiſſe; neque ad ſingularium perſonarum de Capitulo pertinere quacunque ratione poſſe: tertio ex tunc eo ipſo, quo attentari cœpit, tempore contra conſtitutionem præſentem, eandem portionem integram diſtributionum applicamus Sacriſtiæ ipſius Eccleſiæ in ornamenta Eccleſiaſtica, & alia tam neceſſaria, quàm decentia impendendam; quam pro applicata, & attributa haberi omnino volumus, & mandamus.

Manſionarij, & alij, qui ad perpetuum Chori miniſterium aſſumũtur, debent in ijs, quæ ad Chori diſciplinam pertinent, tam in pſalmodia, quàm in Cantu firmo ad minus inſtructi eſſe, vt munus obire ſuũ intelligant; nec, vt ante factum alicubi compertum eſt, rudes omnino ad chori ſeruitium ſunt eligendi. Idcirco præſenti Conſtitutione pręcipimus omnibus Capitulis, ne adj Manſionarias eligere, ſeu promouere præſumant perſonas, quæ non ſint ad pſallendum, & cantu ſaltem

firmo

firmo canendum præuio examine inuentę idoneę, & aptæ; licet ad alias res aptissimæ essent. Cum enim Mansionaria principaliter ad certum sit onus, & munus instituta, debent idoneæ ad illud principaliter personæ promoueri; nec trahi illius officij redditus ad aliena. si aliter prouisum, aut factum fuerit, cassamus, irritamus, & pro nullo haberi volumus: reseruantes tamen nobis, vt in tali defectu, & commissa contrauentione prouisionem, vt iuris fuerit, obeamus.

De Vicarijs Foraneis.

DIOECESIS Aquileiensis latitudo ea est; vt, cum in omnes partes assiduè discurrere non valeamus, ad varia gubernij subsidia confugiendum putemus. Cum autem Diœcesis quibusdam locis facta sit distributio in Archidiaconatus, ipsæ verò partes Archidiaconorum curæ, & administrationi demandatæ fuerint; adhuc tamen superſit quædam pars in portiones aliquot distribuenda, & certis personis commendanda, in eam sententiam venimus, vt aliquot Vicarios Foraneos constitueremus, quorum cura, & gubernium attributis regionibus præsit, ne quod Constitutionibus, & reformatione mederi, & sanare curauimus, neglecta medicina corruat, & ludibrio medicina ipsa esse incipiat. Constitutis igitur Vicarijs, ac distributis regionibus, sua cuique assignata, munera etiam eorum particularibus Constitutionibus comprehendere voluimus, vt in eam se partem gubernij studiosius, quæ assignata est, dedant, quò nostram expressius sententiam cognouerint.

Vicariorum Foraneorum munus præcipuum est, quæcunque de constructionibus, reparationibus instructionibus, exornationibus Ecclesiarum, Sacristiarum, Capellarum, Altarium tam particulariter, quā generaliter mandata sunt, curare, vt non modo executioni mandentur, sed vt bene mandentur: præterea illa etiam, quæ de honestate in Ecclesijs seruanda, de ordine, & celebratione Missarum, & alia omnia, quæ Curatorum diligentiæ commissa; & mandata sunt tam respectu ministerij Sacramentorum, quàm aliorum quomodocunque ad ipsorum Curatorum munera spectantium, curare, & exequi debebunt. Præterea vitam, mores, & habitum, conuersationes, suspiciones rationabiles de vita, & moribus Clericorum intra fines regionis commissæ videant, extra iudicialiter corrigant, emendare contendant. Si quid, tamen,

men vel incorrigibilitate, vel rei natura grauius inciderit, ad nos diligētissimè perferant: quæ autē huius generis fecerint, aut curarint, ea scripto comprehendant, vt quandocunque requisiti rationem reddere administrationis suæ valeant.

In re, & iuribus Ecclesiarum seruandis, tuendis, & recuperandis solicite particularium locorum Curatos vrgeant, nè quid vel negligentia pereat, vel potentiorum cupiditate vsurpetur: si quid insolentius alicubi fiat, statim nobis omnia, & singula perscribant.

In Camerariorum electione, redditųum Ecclesiarum dispensatione, rationum redditione, reliquorum solutione curent, ea tolli, quę vel impedimentum afferunt, vel damnum inferunt: quæ ante à nobis constituta sunt, perficiantur. præterea confinia terrarum, & bonorum Ecclesiæ pręcipiant Curatorum propriorum sedulitate perfici. negligentes excitent, & ad bonum adducant.

De Congregatione Casuum conscientiæ singulis mensibus habenda Vicarij nostri præcipue agant, vt nunquam prætermittatur: illam verò seruato certo ordine vocent. Post expeditam Synodum intra mensem vocent Clerum suæ regionis, & omnia, quæ ad Synodalium Constitutionum executionem pertinent, seriose indicant, profiteantur ex officio fore, vt ipsi assidue vrgeant; nec patiantur quidquam vel nequitia inuerti, vel negligentia omitti. Si post primam, & secundam monitionem attentè officium suum minus exequantur, se rem ad nos delaturos esse, nè ipsi negligentiæ, ac desidiæ arguantur: deinde agant de futuris Congregationibus casuum habendis, & exhibeant duos, aut tres casus in futura Congregatione sequenti mense discutiendos, & decidendos. In Congregationibus seruetur ordo, vt statuta die, quæ festa esse non debet, summo mane omnes ad suum Vicarium conueniāt, & facto ab omnibus sacro cum Missa de Spiritu Sancto, vel saltem oratione, fiat Congregatio, in qua casus ante exhibiti decidantur, ad Congregationem euocentur omnes, qui sunt de regione Vicarij: contumaces plectantur pœna librarum duarum monetę Venetę pro quolibet defectu. mulctę in expensas Congregationis librorum emendorum, cursorum discurrentium insumantur. Liber penes Vicarium sit, in quo scribantur Congregationes cum die, mense, & anno; ipsi etiam casus, & decisiones; pręsentia Curatorum, qui Congregationi interfuerunt; absentium vel excusatio legitima, vel contumacia; itemque contumacię pœna: si quis ter fuerit contumax, ad nos referatur, vt remedio graviore

tiore contumaciam luere discat. Decisionum autem exemplum singulis ad nos mensibus perferendum curetur.

Tempore Congregationum frugalitas seruetur inter omnes, qui cõuenient: sit breue, & simplex conuiuium, collatione omnium, & communi congregatorum impensa: dum corpus alitur, lectura aliqua sacrę scripturę condiatur mensa, alatur animus: ante, & post fiat benedictio, & gratiarum actio incohante Vicario, & prosequentibus reliquis.

Quę de Curatorum residentia in Synodo decreta sunt, Vicarij vt obseruentur, studiosè curent: super eorum recessu à cura ex causa aliqua rationabili seruent, quę in Capite de Curatis expressa sunt, ac in omnibus ita studiosè inuigilent, vt ab eorum pietate diligentia, ac prudentia desiderari nihil amplius possit. Pręterea Vicariorum munus erit, cum aliquis ex Curatis suę regionis ęgrotare cœperit, inuisere; si grauius se habuerit, curare diligentius, vt necessaria tam spiritualia, quàm temporalia ei ministrentur: si obierit, in suo libro scribant obitum cum die, mense, & anno, & statim nos moneant: curabunt verò interim tam viuente Curato in ęgritudine, quàm eo mortuo, ne cura animarum detrimentum patiatur: rerum, & bonorum, quęcunque in vita possederit, curam diligentem habeant, nè quid fraudis in pręiudicium eorum, qui de iure succedere debebunt, committatur, inuocato etiam super his, si opus fuerit, brachio seculari.

Ex Sacerdotibus alienigenis, si quis in regionem venerit, ne admittatur ad celebrationem Missę, nisi licentiam à foro nostro Patriarchali obtentam in scriptis habuerit: illos autem, qui tanquam peregrini ad Missarum celebrationem admissi sunt, in Capellanos se intrudere non permittant. Cooperatores, seu Capellanos quoscunque ne permittant Confessiones audire, aut Sacramenta ministrare, nisi licentiam in scriptis obtentam ostenderint: eos, qui contra pręmissa ire presumpserint, ad nos deferre quam primum studeant.

Cum verò contigerit Vicarios ad reuisionem Ecclesiarum suę regionis excurrere, vel ordinaria officij obligatione, vel mãdato nostro, tum eis non liceat quidquam, ne minimum quidem, pecuniæ aut ab Ecclesijs, aut ab earum Camerarijs exigere, seu petere, nec oblatum accipere: si contrafecerint, eos declaramus ex nunc pœnas à Sacro Concilio Tridentino indictas incurrisse: volentes eos tamdiu ab officio suspensos manere, dum Concilij Tridẽtini decreto integre satisfecerint. Victualia verò modestè volumus exhiberi, vt nihil inter Ecclesiasticos

apparcat

appareat in decorum, nihil superfluum, omnia moderationis Ecclesiasticę lege temperata.

De vita, & honestate Clericorum.

VITA Clericorum debet esse sancta, sanctè, & religiosè traducta, laudabili conuersatione, virtutum laude ornata, vt nihil non modestiam, charitatem, & pietatem olere videatur: vt autem intimos animi recessus scrutari, & intelligere nemo hominum potest, qui soli Deo patent; ita externis argumentis, ac signis, quę sub sensus cadunt, pernosci, & iudicari facile quisque potest; vt qualem se foris profiteatur, talem intus & voluntate, & animo esse non inficietur.

Insigne primum Clerici Tonsura est, & vestis talaris: qui igitur in clericalem militiam adscitus est, norit à se hoc primum requiri, vt habitum, & tonsuram deferat. qui non detulerit, sciat se pœnis iuris subiacere.

Cum autem complures sint in Diœcesi Aquileiensi, qui tonsuram habent, aut etiam ordines minores; quorum alteri aliquando in Ecclesiasticis ministerijs in habitu, & tonsura seruierunt, postea respicientes retro, tanquam regno Dei minus apti, clericalem militiam deseruerũt, & ad vitam laicalem, & communem reuersi sunt: alteri nec habitum, nec tonsuram vnquam gestarunt, nec in Ecclesijs Clericorum instituto, & more versati sunt: sed Laicorum habitu, delatione armorum, toto cultu corporis omnia alia pòtius, quam Clericos se ostenderunt; neque Clerici communi hominum opinione habiti sunt: vtrique verò vitam secularem degentes, si quando aliquò impingunt, & iustitię temporalis præcepto propter crimen obiectum in aliquam difficultatem truduntur; tum ordinationis literas ostendunt, & fori Ecclesiastici subsidium implorant: abusibus occurrentes varijs, & grauibus, pręsenti Constitutione, Sacri Concilij Tridentini decretis inhærentes, statuimus, & declaramus indignos illos esse, quos fori Ecclesiastici fauor complectatur, qui eiusdem fori dignitatem, & obedientiam contempserunt. Eos igitur, & eorum quemlibet, qui tonsura, vel minoribus etiam ordinibus initiati sunt, siue in habitu, & tonsura in Ecclesia olim seruierint, siue habitum clericalem nunquam gestarint, & nunquam in Ecclesia Ecclesiasticè versati sint, omnino ad forum Ecclesiasticum non pertinere, & fori Ecclesiastici subsidio carere debere declaramus.

Illis autem, qui beneficium quodcunque Ecclesiasticum, etiam simplex possident, vel Canonicatum, aut Capellaniam, siue etiam pensionem vltra ducatos sexaginta, tonsuram verò, & habitum clericalem deferre contemnunt, amantes lucrum, insigne verò suæ professionis abhorrentes, Constitutiones Sixti V. datas alteram quinto Idus Ianuarij 1588. alteram Pridie Calēdas Februarij eodem anno intimamus, ac ne prætextu ignorantiæ quispiam se tueri contendat, quo minus debitis pœnis plectatur; ipsas Constitutiones mandauimus in Synodo promulgari, & omnibus indici, ac intimari.

Quia verò, qui ad ordines, vel minores promouētur, interdum fraudem confingunt, & quod grauius est, per falsa documenta ad sacros, etiam Sacerdotij ordines ascendunt, cum vel ætatis, vel natalium defectu laborent, vel Canonico alio impedimento teneantur, quominus iure promoueri valeant: hi verò cum dolo, & fraude ascenderint, celebrare, & in susceptis etiam ordinibus ministrare non verentur, licet ante Bullam Sixti V. suspensi Constitutione Pij Secundi essent, ac ministrantes, seu celebrantes irregulares fierent: post dictam verò Bullam Sixti V. excommunicationis vinculo irretiti maneant, ac item in irregularitatem in susceptis ordinibus vel ministrantes, vel celebrantes incidant: nè præfatarum Constitutionum ignorantiam prętendere quisquā valeat, aut dolum, & fraudem quocunque colore tueri, abusui prospicientes, vtranque Bullam mandauimus in Synodo legi, ac publicari: addentes: si quis de crimine dictis Bullis compræhenso aliquo modo iudicialiter conuictus fuerit, graui cum pœna tanquam sacrarum Sanctionum, & Censurarum Ecclesiasticarum contemptorem damnatum iri.

Lateranensis Concilij sanctione decretum est, vt; qui beneficia Ecclesiastica tam curata, quàm non curata obtinent; nisi post certum tempus horas Canonicas recitarint, fructus ipsorum beneficiorum pro rata horarum, quas non recitarunt, amittant: qui ex tunc fabricis locorum piorum, seu eleemosynis applicati fuerūt. Quod vt Clericis apertius innotesceret, Pij V. Constitutione lata duodecimo Calendas Octobris 1571. factum est: qua amissiones fructuum pro horarum omissione, quātæ sint, declaratur: vt omnes intelligant, quod malè perceptum est,

locis,

locis, quibus applicatio est facta, debere restitui, & ad huiusmodi restitutionem in foro conscientiæ teneri.

Non tamen existiment, qui ad sacros ordines, etiam Subdiaconatus tantū promoti sunt; horis canonicis ex Breuiario Romano recitandis, cum beneficium Ecclesiasticum non habeant, obstrictos se non esse: omnino verò intelligant, quemadmodum, qui beneficium habent Ecclesiasticum, horas canonicas non recitantes, vltra peccati mortalis reatum amissione fructuum plectuntur, ita illos omittendo horas canonicas mortaliter peccare, nec se prætextu beneficij non adepti excusare posse: omnes verò norint sacri ordinis susceptione, se in sortem Domini, cui in humilitate seruire debent, adscriptos esse, vt à sua ipsius religiosa dedicatione, & sacris ministerijs discedere non valeant; sed ita obligatos esse, vt ascendere possint, ad seculum descendere non possint. Qui muneris sui partes neglexerit, & conuinci aliquo modo poterit, vel non recitare, vel recitandi ordinem non intelligere, pœnis debitis etiam in foro exteriori, vltra peccati reatum, plectetur. Ordinem verò recitandi horas canonicas in Diœcesi Aquileiensi eum indicimus, quem Calendario proprio Diœcesis Aquileiensis promulgari curauimus.

De Clericali habitu, & tonsura ne dubitari contingat, qualis esse debeat; tonsuram, seu clericam edicimus, ac præsenti Constitutione intimamus eam esse, quam pro maiorum, & minorum ordinum gradu minorem, & maiorem præscripsimus, vt vel inscriptione clericæ inscriptum sit cuique suæ ordinationis: signum barbæ in comptioris formā, & longiores pilos, quos mostachios vocant & oris officio impedimento sunt, omnino damnamus, & à clericali modestia reijcimus. Habitū verò clericalem in Ciuitatibus, Terris, & Oppidis dicimus esse, vestem talarem collo constrictam cum pallio superiore longo. collaria camisiæ quocunque modo, vt incomptè a quibusdam deferuntur, crispata damnamus, reijcimus, & personis Clericalibus minimè conuenire pronunciamus. Colorem nigrum Clericali modestiæ dicimus conuenire: alios quoscunque colores, etiam in manicis & fibulis caligarum damnamus, & prohibemus. Pileos laneos, seu sericos crispato opere, vel punctorum frequenti ordine quasi pictos, seu cinguli variegati corona exornatos ad Laicos non ad Clericos declaramus pertinere: volumen velorum circa pileum ex arte compositum, vt non decet Ecclesiasticas

personas, ita minus quidem illas decet, quæ ampliorem dignitatis locũ obtinent.

Prohibemus omnibus, & singulis Canonicis, Mansionarijs, Capellanis, Sacerdotibus, & cuiuscunque gradus Clericis vltra pœnas in Constitutionibus Visitatorijs particulariter expressas; quibus in nullo volumus derogatum, aut in minimo quidem præsenti Constitutione detractum; sub pœna suspensionis a diuinis, nè in chorum ascendere audeant sine veste coloris nigri vsque ad talos demissa, & ad collum constricta & superpelliceo decenti: vestem breuiorem, coloris non nigri, aut collo non constrictam quocunque prætextu sumptam a choro, & ab Ecclesia longius abesse volumus: eisdem pœnis subiacere edicimus, qui pileos cuiuscunque materiæ, & formæ in chorum detulerint: si enim locis omnibus Clerus decenter ornatus esse debet, multo sanè magis in loco sacro, in choro, vbi laudes Deo persoluuntur, gratiæ aguntur, postulationes fiunt, esse debet; in quo vestitum induens candidum, & officium Angelorum obiens ab omnibus abstinere, quæ vel inania sunt, vel secularia, vel a re aliena, diligentissimè debet: quod assiduè meditari, & contemplari animo piè decebit. Quod autem debeat esse in Choro silentium, quæ mentis eleuatio, qui cultus, attentio, & deuotio, particularibus Ecclesiarum Constitutionibus ordinatum est, vt nihil hoc loco addendum putemus.

Cum verò possit aliquis dubitare, quæ sit habitus itinerantium forma; vt quæcunque se ad loca Clerici contulerint, vitæ, & morum insigne deferant, ex ipso verò Clericali habitu obstrictos se obligatione modestiæ, ac temperantiæ profiteantur; præsenti Constitutione præcipimus, & ordinamus vestem Clericalem itinerantium Clericorum eam esse, quæ vsque ad genu longitudine producta sit, vt saltem genu Clerici stantis operiat: hęc autem coloris nigri debet esse, & clericaliter formata. habitum verò clericalem declaramus eum esse, qui veste, vel talari, vel breuiore in itinere, & tonsura constat: ex duobus alterum si desit, dicimus clericalem habitum integrum non esse: quemadmodum etiam clericalem habitum non esse declaramus, qui licet longitudinem habeat, coloris tamẽ nigri qualitatem, quam propriam Clericorum esse pronunciauimus, non habet. Qui habitum itineris faciendi causa detulerit, nec colore, nec longitudine, nec forma clericalem, eum p mensem à diuinis suspensum manere volumus, & hoc toties, quoties: quod si quis fuerit incorrigibilis, & cum Clericus sit, in itinere se laicum

gere-

gerere, & ostendere affectarit, & agnoscere disciplinæ correctionem noluerit, in eundem grauiore, vt decet, animaduersione procedemus.

Arma Clericorum lacrymę, & orationes, non enses, aut alterius formæ, seu materiæ arma per Ciuitates, & loca, in quibus habitant, si quis Clericorum extra itineris faciendi necessitatem insolenter arma cuiuscunque generis detulerit, eum damnamus pœna quartæ partis fructuũ suorum beneficiorum, quam ex nunc, prout ex tunc, & è contra Sacristiæ Ecclesiæ; cui fuerit titulo beneficiali adscriptus; applicamus, declarantes ad illius portionis restitutionem ita teneri, vt; nisi vel restitutionem fecerit, vel cautionem faciendæ restitutionis dederit, absolutionem in foro conscientiæ, obtinere non possit, processuri etiam grauius in foro fori contra incorrigibiles. propter itineris pericula breuem tantum ensem Clericis deferendum permittimus. Qui aliter fecerit, ijsdẽ pœnis, quibus plectuntur deferentes arma per Ciuitates, & loca sine causa itineris; subiaceat. Contra Clericos non beneficiatos, & huius Constitutionis violatores, vt iuris fuerit, procedetur.

Ac vt omnes, quæ sint illorum partes, agnoscant, mandauimus in Synodo Bullam Sixti V. quæ de habitu Clericorum & pensiones obtinentium promulgata est quinto Idus Ianuarij 1588. cum Indulto adiuncto de obtinentibus pensionem non vltra ducatos sexaginta sub dato Pridie Calendas Februarij 1588. legi, publicari, & intimari.

Pensionarios omnes monitos seriò esse volumus, eos ad Officium Beatæ Mariæ Virginis quotidie recitandum teneri: aliter præter peccatum mortale, quod committunt, restitutionis onere obstrictos esse: nè putent Ecclesiasticum panem, qui temporaliter ministris tribuitur, ad luxum, ad inania studia, vel aduenationes trahendum esse; cum sit patrimonium Christi, alimenta Sacerdotũ, qui verè Sacerdotes, & verè Ecclesiastici sunt, ministrorum stipendium, vt vel in Ecclesia, vel extra laudes Deo persoluant, & ipsi Deo benedicãt in omnibus Sanctis suis, & in omnibus operibus suis. Quod satis intelligere ex lectione Bullæ Pij V. de horis Canonicis poterunt.

Dicit Canon: Esau venator erat, quoniam peccator erat: quàm verò modestia sit Clericali indignum, qui paulo ante Breuiarum manibus tractabat, & sacræ lectionis studio intendebat, eum publice accipitrem deferre, & sua in eo studia profiteri; quique cum Angelis in Ecclesia gratiarum actiones, & laudes Deo persoluebat, eum inter canum

latra-

latratus, & multitudinem versari, & incomptis obstrepere vocibus; sacri Canones satis declarant, omnes verò facile intelligunt. consequitur autem, vt panis, qui victui miserorum pauperum sufficeret, panis inquam de redditibus Ecclesiasticis collectus; quod est patrimonium Christi; ad bestiarum cibum indigne transferatur. cuius criminis ratio districtè in die Domini reddetur. Quod nos à Clericorum vita, & honestate remouere cupientes; omnibus Clericis cuiuscunque conditionis, & gradus sint, venatorium studium interdicimus, & districtè prohibemus: grauius etiam processuri pro modo culpæ, & peccantium contumacia, nisi resipuerint.

Clericos quoscunque, cuiuscunque sint gradus, & conditionis, extra causam itineris in tabernis conuiuantes, seu bibentes, pro prima vice, qua fuerint inuenti, & legitimè conuicti, damnamus in vna Marcha denariorum Aquileiensium irremissibiliter ab eis auferenda, & applicanda operi pio; secunda ad manendum in carceribus clausis per dies viginti; crescente contumacia, ne Clericalis sordescat dignitas, opportunioribus etiam remedijs occurremus. in ebriosos, si qui fuerint, animaduersionis regula, cum res feret, intendetur.

Alearum lusum, quo tempus frequenter misera iucunditate teritur, Clericis, cuiuscunque sint status, sacrorum Canonum censura, & nostris Constitutionibus particularibus aliàs editis prohibuimus, quas etiam in præsenti approbamus & quatenus opus sit, etiam innouamus, & cõfirmamus: Si quis Clericorum vel locum aleatoribus ad ludendum p̃buerit, vel ad lusum ipse ventitarit, ac præcepti nostri, & modestiæ suæ fines transilierit, & status sui dignitatem neglexerit; prouisionis, & correctionis eam, quæ decet incorrigibiles, pœnam sentiet.

Conuiuia, & conuersationes laicorum, multorum offensionum, & scandalorum originem, debent Clerici in quocunque gradu constituti sunt, declinare, ac fugere: honestatem, quæ inter Clericos tutius seruatur, amare, contraria diligentissime vitare: meminisse verò debent, non aliunde Clericalis ordinis dignitatem grauius fuisse offensam, quàm a nimia Laicorum familiaritate: illi enim, vt honestè de ijs, quæ honesti speciem præseferunt, sentire solent; ita si honestum, quod opinione compræhenderunt, assidua tractatione non reperiunt parui pendere, & quos imperfectiores norunt, contemnere omnino solent.

Mulierum suspectarum contubernium, & familiaritatem declinare, ac fugere Clerici debent, ne vel mali suspitione laborent, vel periculosæ

rei

rei, tractatione tabescant: qui Clericalis modestiæ contemptores fuerint, se rationem sordium, aut malarum suspicionum, si quid illorum culpa fuerit commissum, reddituros non dubitent. Concubinarum, & meretricum conuersationem, & alias turpitudines vindicaturos nos esse iuris medijs, nemo ambigat.

Clericum, qui à sęculo discessit, in sortem Domini adscitus, adhuc seculi negocia appetere non decet: negotiationes igitur, mercaturas, alienæ rei procurationem, tutelas, & similia à Clericorum professione declaramus esse aliena: vt, si quis, cum vacare Deo, studijs Ecclesiasticis, vitæ clericalis honestati deberet; se in tricas seculares dederit, se longè putet à vitæ clericalis semita declinare.

Quadragesimæ tempore, & alijs anni temporibus Clerus vniuersus non solicitè modo, sed vnitim etiam ad publicas Conciones conuenire cum superpelliceis debet; vt seculares huius solicitudinis exemplo excitati, & diligentius confluere, & attentius, quæ ad salutem animarum publicè proponuntur, animo capere, & facto exequi studeant.

Qui in minoribus Clerici sunt, hi suis in Ecclesia, cui adscripti sunt, officijs in habitu, & tonsura cum superpelliceo fungantur: ibidem frequentius Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ accipiant, vt dignè Deo ambulare discant, & ad maiora constituto firmissimo pietatis fundamento promoueri valeant; qui etiam per Vicarios Foraneos inter suos limites contineri in officio debebunt.

Si quando statutis temporibus Clerici ad ordinationem accedere voluerint, tum nolumus audiri, aut admitti, nisi testimonium certum attulerint cum sigillo, & subscriptione Vicarij Foranei; eos legitimis natalibus ortos esse, Doctrinam Christianam in Ecclesia didicisse, ac docuisse, studijs Grammatices operam dare, & in illis progressos esse, in suis officijs ministrasse, in habitu, & tonsura incedere solitos esse, vitæ honestate excellere, saltem semel in mense confiteri, & Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum frequentare; ac si ad maiores promoueri voluerint, se, vt in Ecclesia denunciarentur, curasse, nihilq; impedimenti oppositum fuisse; atque huiusmodi alia, quæ Edictis de ordinandorum promotione impressis compræhendimus. Si quis non munitus huiusmodi subsidijs, ac rebus ad nos ordinationum causa accesserit, sibi persuadeat, nihil se à nobis impetraturum esse.

Libros Clerici tam in minoribus, quã in maioribus constituti, apud se habeant, quos legere, ac peruoluere assiduè non desinant: vtriusque

Testa-

Testamenti volumina, Catechismum Romanum, Concilium Tridentinum, Rationale Diuinorum Officiorum, Sacrorum Doctorum Homilias, Doctrinam Christianam iussu nostro impressam, & has nostras Constitutiones, vt vel animo instrui ad pietatem, vel opere ad obedientiam, & Christianam perfectionem facilius possint.

Tempore Congregationum, siue lectionum, quæ fiunt in Ciuitatibus, ac Terris, aut extra, Clerici diligenter interesse curent: nihil committant, cur negligentiæ, ac socordiæ argui possint: in quo Vicariorum Foraneorum sedulitatem volumus oneratam esse; vt, si minus diligentes fuerint, & ter moniti non resipuerint; ad nos eorum nomina statim deferre curent.

Qui ad Clericatum accedere volunt, eos mandamus ab illos, qui huiusmodi ingressui in Ciuitatibus præficiuntur, vel à Vicarijs Foraneis examinari: si nihil habuerint impedimenti à natalibus, à corporis habitudine, ab ingenij docilitate, vt se dederint principia disciplinæ: tum sex menses eis ad tonsuram accipiendam præstituantur, vt habiles ad id, quod requirunt, reddantur, & ab his initijs progredi etiam longius valeant. Qui verò in Clericatu versati sunt, & adhuc versantur, si scholas, & Ecclesiam non frequentant, si muneribus officiorum suorum non funguntur, si minus deuotè, quàm Ecclesiasticam vocationẽ decet, Ecclesiastica Sacramenta accipere negligunt, si habitum non deferunt, & vel omnia supradicta omittunt, vel ex his, quæ maiora sunt, ab illis, qui Clericorum gubernio in locis præsunt, ab Ecclesia dimittantur, ablata eis facultate superpellicei induendi, & inter Ecclesiasticos eorum, quæ in exequijs, & alijs distribuuntur, quicquam accipiendi: Si qua verò singularis persona; quo minus præsens constitutio executionem habeat, temerè Præfecto Clericorum impedimento esse voluerit: si fuerit Canonicus Capitularis, eum volumus ipso facto mulctatum pœna distributionum, & voce Capitulari vnius mensis: si fuerit Canonicus, qui vocem in Capitulo non habeat, damnamus ex nunc, prout ex tunc pœna distributionum duorum mensium: Si Mansionarius, pœna distributionum, & suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda per integrum mensem: Si fuerit siue Sacerdos, siue Diaconus, qui distributiones non habeat, duorum mensium suspensione mulctamus, ac mulctatum ipso facto declaramus: mandantes Præfectis Clericorum, siue Scholasticis in virtute Sanctæ obedientię, & sub pęna priuationis officij, vt Ecclesiasticam disciplinam modis omnibus ordina-

re,

re, promouere, purgare, & correctionibus ex officio, & charitate frequentioribus reformare studeant; nobis verò sub eadem pœna, cur minus officium suum exequantur, impedimenta studiosè significent, vt remedijs, quæ fuerint opportuna, occurrere, & superiorum temporum licentiam, & eorum, qui disciplinam fortasse non nouerunt, temeritatem coercere possimus. debent tamen Scholastici, & Præfecti suum, vt decet, officium non minus diligenter exequi, quàm discretè.

Ad spectacula Comœdiarum seu ad Banchos Circulatorum, & Buffonum in plateis, qui alijs exemplum debent esse maturitatis, ac prudentiæ, accedere, & assistere Clericos non decet: à Choreatum spectatione item Clerici abstineant: saltationem verò publicam; quod est intemperatissimæ temeritatis genus; nulla ratione committant, nisi grauioris correctionis virgam experiri affectent. Personatum incedere Clericum turpe, vanum, periculosum, non ferēdum: non enim ad bonum habitus clericalis depositio; sepissimè ad malum vel inchoādum, vel consumandum. Nocte se domi Clerici contineant: militum, aleatorum, infamium personarum conuersationem declinent: compotationes fugiant, & omnia, quæ Ecclesiasticam personam minus decent, & Sacrorum Canonum statutis interdicta sunt Clericis, à se putent aliena: quæ verò ad omnes pietatis, religionis, ac modestiæ actus pertinent, seu pertinere, ac spectare possunt, ea sectentur, ijs immorentur, ab ijs nunquam, ne latum quidem vnguem, discedant: vt sit gens sancta, regale Sacerdotium, Ciuitas Sancti, in qua sapientia tanquam in sede sua habitare per gratiam non dedignetur.

Studia Clericorū promoueri optabile, & cum Christiana charitate, & Ecclesiastica dignitate consentaneum. Cum tamen abusus in omnia irrepserit, vt nihil, quo non peruenerit corruptela, inueniri possit, edicimus, & statuimus: si quis Clericorum Canonicatum habens, seu aliud beneficium, quod residentiam requirit, studiorum causa in aliqđ publicum gymnasium se contulerit, aut conferat, ac interim prærogatiua vtens studentibus à iure communi, vel per Indultum Sanctæ Sedis data, fructus Canonicatus, aut beneficij in absentia percipere contendat, eum à dictorum fructuum perceptione amouendum, & coercendum esse: donec nostrum super præfatis habuerit consensum: aliter verò factum dicimus iure minime subsistere: quemadmodum declaratoria Pij Quarti statutum est.

SYNODALIVM Testium officium erit, muneris sui partes agnoscere, & seruare; vt eorum diligentia, ac fide, abusibus sublatis, Ecclesiasticæ disciplinæ, ac Religionis dignitas in suum statum vindicetur: debebunt autem ipsi posthabito humano respectu rem omnem fideliter tractare, sibique persuadere, tacito fuisse nomine institutos, vt liberè munus suum obirent, nec ab alijs dignosci, sed nobis tantum cogniti esse possent.

Attendent verò.

An Parochi resideant apud suas Ecclesias, & an Missarum Sacra tam ab ipsis, quàm à Capellanis, & Altaristis tempore, loco, & numero fiāt, & ad Constitutionum nostrarum præscriptum. Si quid in ministrandis Sacramentis, in visendis, & iuuandis infirmis, in tota illorum muneris executione offensionis appareat: vel à vita, & moribus scandalum oriatur. Quod de Parochorum residentia proximo capite dicitur, id in alijs, qui residere de iure, vel consuetudine tenentur, obseruēt, attendant, significent.

Constitutiones particulares Capitulorum, & locorum in Visitatione editæ qua ratione claudicent, vel procedant, inspicere curent: quod etiam de Constitutionibus Synodalibus animaduertere diligentissimè debebunt: non modo defectus attendētes à parte rei, sed etiam à parte personarum, tam illarum, quæ præsunt, quàm aliarum, quæ subsunt.

An Decimæ, seu Quartesia soluantur ab ijs, qui debent.

An Fictus inexigibiles recuperentur: fundi Ecclesiarum certis finibus designentur: redditus bene administrentur.

An Legata pia quæcunque soluantur.

De Monialium clausura, & alijs, an sit aliquid, cui satis hactenus succursum non fuerit.

Si quid à Regularibus extra claustrum committatur, quod scandalum afferat.

An heretici sint alicubi: vsurarij: superstitiones exercentes.

Vniuersè omnia, & singula, quæ ad Ecclesiasticum gubernium pertinent, inspiciant, considerent, ac deferant.

Quas nostras Constitutiones Synodales in Synodo Diœcesana Aquileiensi editas, habito consilio fratrum nostrorum D. D. Decani, Cano-

nico-

nicorum, & Capituli Aquileienſis, mandamus in tota noſtra Diœceſi ab omnibus, & ſingulis cuiuſcunque conditionis Sacerdotibus, & Clericis ſacris ordinibus initiatis, vel beneficium quodcunque Eccleſiaſticum obtinentibus pro cuiuſque dignitate, gradu, & officio diligenter obſeruari; earumque vigore, & pœnis vnumquemque poſt ſecundum à die promulgationis menſem obligari, ac teneri, poſſeque contra illos, & illorum quemlibet poſt dictum tempus tanquam inobedientes inquiri, & procedi. Quæ verò his Conſtitutionibus comprehenſa non ſunt, iuris communis diſpoſitioni ſubiacere pronunciamus: Declarationem verò illorum, quę declaratione egerent, nobis reſeruamus, quãdocunque faciendam: vt à domo Domini reformatio incipiat, & reliqui huiuſmodi exemplo incitati ad eandem vitæ rationem ſe conformare ſtudeant, Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto gratias agentes. Amen.

SEQVVNTVR CONSTITVTIONES PONTIFICIAE.

BVLLA PII PAPAE V.

De residentia Rectorum Ecclesiarum Parochialium.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. CVPIENTES pro nostri pastoralis officij munere Christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, & Parochialibus Ecclesijs ab earum Parochis, prout tenentur, in diuinis debitè, & laudabiliter deseruiri, inhærendo etiam Decretis Sacri Concilij Tridentini, Motu proprio, & ex mera deliberatione, certaque scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione, omnes, & singulos Rectores Parochialium Ecclesiarum cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, in quibuscunque Regnis, Prouincijs, Ciuitatib⁹, Diœcesib⁹, ac alijs Christiani Orbis partibus consistentes, qui Parochialem Ecclesiam, aut Canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, seu principalem in quibusuis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesijs, seu aliud quodcunque beneficium Ecclesiasticum, etiam quarumcunque dispensationum a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac præsenti constitutione abolemus, & reuocamus, seu quocunque alio prætextu obtinent, cum prima & præcipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia parochiali, & ibi in diuinis deseruiendum, debitoq; eorum officio fungendum omnino teneri, & obligatos esse, ac ad id per Episcopos, & aliorum locorum ordinarios, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatos, sub sententijs, & censuris Ecclesiasticis, ac pecuniarijs arbitrio eorum declarandis, ac etiam priuationis dictarum Parochialium, & aliorum quorumcunq; beneficiorũ

pœnis,

pœnis, quacunque appellatione remota, cogi, & compelli posse, & debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesijs Parochialibus omnes, & singulos fructus, redditus, & prouentus, etiam Canonicatus sui, vel dignitatis, seu alterius cuiuscunque beneficij, exceptis dumtaxat quotidianis distributionibus, & aliis, quæ ex iusta causa absentes præcipere non solent, lucrari volumus.

Sicq; per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis dispensationibus, & exemptionibus, literisq; Apostolicis desuper confectis, necnon Apostolicis in Prouincialibusq;, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, & etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis in genere, vel in specie, & aliàs quomodolibet concessis, & approbatis, in posterumque concedendis, & approbandis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficiẽter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cęterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod harum literarum trãsumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, reuocationis, statuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę sumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum

torum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, octauo Idus Iulij Pontificatus nostri Anno tertio.

BVLLA PII PAPAE V.

De confidentijs beneficialibus, earumq; casibus, præsumptionibus, & probationibus, & de pœnis retinentium beneficia in confidentiam.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. INTOLERABILIS multorum peruersitas, qui sacrosanctas constitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctores in necessitatem adducit cautius prouidendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Bene quidem, & prouidenter felicis recordationis Pius Papa Quartus prædecessor noster ad tollendã fiduciariæ mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decreuit, vt ipso iure vacarent Ecclesiæ, Monasteria, cæteraq; beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, cuiusuis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi, & Apostolicæ sedi reseruando; Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi ad Ecclesias, Monasteria, beneficia supradicta, illaque recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebite perciperent: Prohibens quibuscunque etiam sub censuris Ecclesiasticis, ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiã decreuit omnes, & quascunque prouisiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs, necnon reseruationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, siue per se, siue futuros Romanos Pontifices, etiam Motu

pro-

proprio, & consistorialiter, siue etiam per ordinarios collatores etiam ad patronorum præsentationem, cum interuentu confidentiæ huiusmodi, siue expresſè, siue occulte, ac de iure præsumpto, & alias contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari, sed Ecclesias, Monasteria, & beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædictę dispositioni reseruata esse, sicque per quoscunque etiā per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & alias eorum arbitrio procedendo, cum alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui, & ꝓbari non posse constaret, iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane quicquid secus contingeret attentari, quemadmodum confectis super his literis suis plenius continetur. Veruntamen propter improbas multorum cupiditates prædicta, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquēdi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes, & singulàs causas ipsas vbicunque, & inter quoscunque motas ad nos aduocauissemus, ac omnimodam huiusmodi causarum præsentiū, & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis, & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdam coram nobis processum fuisset, varijs inde, nec leuibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occulte irrepsisse, sed plerisq; causis præsumptiones, & coniecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusq; rei causa plurimos, qui ante literarum prędictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, vbi cognouerunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudicijs confidentias ipsas contempta constitutione prędicta, Ecclesias, Monasteria, & beneficia sic recepta, vt prius retinere, alios, fructus, pēsiones, & alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia, & grauiora fidentius commoueri. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes, alij ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant, alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant, alij propter crimina incapaces, quidam vt purgato delicto, vel absolutione consecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sepe laicis, & inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domibus suis perpetuent,

illa

illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nasciturisasseruent, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reseruatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis, qui præstandorum iurium Cameræ Apostolicæ sunt immunes; alij aut incapaces, aut alijs beneficijs Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico ordini se se mancipare refugientes, aut mere laici beneficia Ecclesiastica alijs conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique ordinarij, & alij collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus, seu pensiones capiant eorundē, aliisue faciant ministrari. Alia item per multa eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerū diuinarum puritas impie violatur, disciplinæ Ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum: Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus, vt si quis quacunque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecunq; ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur. Itidem si ordinarius, vel alius collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quo vis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscunque contra iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Ad hæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus post resignationem, vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam, vel illud etiam con-

fectis

fectis literis Apostolocis, & possessione appræhensa, in eundem resignantem, vel cedentem, modico spacio interiecto, veluti duorum, aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam, vel illud, ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alij exempto sit, fueritue concessus. Postremò si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casusque huiusmodi literis prædictis compræhendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandum verò plenè confidentiarum abusum inter alias etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ. Videlicet, Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel eius propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorundem. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. Si, vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariẹ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, et per manus possessionis, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, pluresque huiusmodi prẹsumptiones, & coniecturẹ plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes, qui ad prohibendum in casibus

simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij, in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque prohibeatur, omnes, & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasue res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & quiquid tale admiserint in futurum, etiam omnibus, & singulis alijs Ecclesijs, Monasterijs, dignitatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione compræhendi volumus, nec non fructibus, pensionibus, & alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & alijs officijs temporalibus præsentium auctoritate priuamus, & de futura in habiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam à Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis, & prædictis successoribus, vt prædictum est facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam ijs, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consueuit, aut debet, itemque contra ordinarios, collatores, Episcopos, & alios superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, vti iam alijs nostris literis statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicunque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, interpretari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inane quicquid secus in prædictis per quoscunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum ordinarijs districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiosè attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuere animaduertant, si diuinæ Maiestatis iudicium, dictæque Sedis censuram voluerint euitare. In cæteris verò causis, & negotijs (nobis, & prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum ordinarios præsentium auctoritate

ritate delegamus, vt gratia, & fauore postpositis, pro se quisque, cum venerit vsus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprahẽsos diligenter inquirant, suoque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant, vt nos, & prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis ordinarijs ipsis prædictos omnes, & quoscunque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constito prius summariè, & extra iudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, & monendi, eisque, ac Iudicibus ordinarijs, & delegatis, alijsq; personis quibuscunque, ne prædictorum exceptionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque, ac alios contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia iuris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachij secularis, quandocunq; opus erit, inuocandi, cæteraque in prædictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus fel. recor. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dictis, alijsque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, quodq; Episcopis, Collatoribus, & Prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim a prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, & indulgentijs, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus quorumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta effectus præsentium, aut attributæ prædictis ordinarijs iurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio, impediri valeat quomodocunque, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Literis prædecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis. Volumus autem, vt præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscunque Curiæ Ecclesiasticæ, eiusue Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra vbique locorum faciant, quam ipsæ presentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo

go omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, statuti, decreti, innodationis, iniunctionis, delegationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Kal. Iunij Pontificatus nostri Anno quarto.

BVLLA PII PAPAE V.

De Collatione Ecclesiarum Parochialium.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. IN conferendis beneficijs Ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus Ecclesijs personis dignis, & habilibus, quæ in loco residere, & per seipsos curam exercere valeãt, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III. Lateranen. & Gregorij X. Lugdunen. generalibus Concilijs, ac Innocentij similiter III. & aliorum Romanorum Pont. prædecessorum nostrorum editæ constitutiones testantur. Quod vt diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, vt occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ, etiam generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in fauorem Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinalium, aut alias quomodolibet reseruatæ, vel affectæ, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur. Et deinde Episcopus, & qui iuspatronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum aliquos Clericos ad regendum Ecclesiam idoneos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis, nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum Examinatorum etiam tanquã magis idoneo ab Episcopo iudicato, & electo de Ecclesia prouideatur:

alias

alias prouiſiones, ſeu inſtitutiones omnes præter formam prædictam factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Sed quoniam res humanæ ſemper in deterius prolabuntur, niſi ſit, qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum ſit, ne propter conſtitutionum huiuſmodi tranſgreſſionem maximi abuſus oriantur: Nos, ad quorum notitiam non ſine graui noſtra moleſtia peruenit, non nullos ex venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, occurrente vacatione Parochialium Eccleſiarum, eas nullo, aut minus rite ſeruato examine, præſertim illo, quod per concurſum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine rite ſeruato, perſonis minus dignis, carnalitatis, aut alium humanæ paſſionis affectum, non rationis iudicium ſequentes contuliſſe, & de eis prouidiſſe, volentes quantum cum Deo poſſumus huiuſmodi, ac etiam futuris periculis occurrere, eorundem prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones præfatas, etiam innouando, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium omnes, & ſingulas collationes, prouiſiones, inſtitutiones, & quaſuis diſpoſitiones Parochialium Eccleſiarum, ab eiſdem Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ac quibuſuis alijs Collatoribus tam ordinarijs, quam delegatis etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatis, vel Nuntijs præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino præſertim in examine per concurſum faciendo præſcriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & eſſe, nullumq́ue prouiſis ius, aut titulum etiam coloratum poſſidendi præbere, & Parochiales Eccleſias huiuſmodi, vt prius ante collationes huiuſmodi vacabant, ex nunc vacare ſtatuimus, decernimus, & declaramus, eaſq́ue omnes pro tempore ſic vacantes noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ, ſeu eorum, quibus ius conferendi eas, præterquam Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum Concilij habere debent, competet, diſpoſitioni reſeruamus. Inſuper ne Parochiales Eccleſię diu in ſuſpenſo maneant in maximum animarum periculum quarumcunque Parochialium Eccleſiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, & quoſuis alios collatores ordinarios in menſibus ordinarijs collatoribus etiam per noſtras regulas aſſignatis prouiſio, & collatio ſpectat, & pertinet, de quibus idem Epiſcopi, & ordinarij pędicti intra ſex menſium ſpatium à die vacationis earundem perfecto examine iuxta formam Concilij Tridentini pręfati non prouiderint, ac illarum etiam, quarum collationes nobis, &

dictę

dictę Sedi generaliter, vel ſpecialiter, & ex quauis cauſa reſeruatę, ſeu affectę exiſtunt, aut alias ex indulto Sedis Apoſtolicę competunt, ad quas occurrente illarum vacatione Epiſcopi, & Archiepiſcopi pręfati perſonas per examen concurſu mutuo habito iuxta dicti Concilij Tridentini formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, aut ijs, ad quos collatio ſpectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor menſium ſpatium à die illius vacationis non ſignificauerint, necnon Parochialium Eccleſiarum ſimilium, quę Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici, vel aliorum, ſeu clericorum, & laicorum ſimul fuerint, ſi præſentatus iuxta tempus eiſdem patronis à iure pręfixum pręuio examine iuxta formam dicti Concilij approbatus petatur inſtitui, inſtitutioque ipſa per duos menſes à die pręſentationis dilata fuerit, collationem, prouiſionem, inſtitutionem, ac omnimodam diſpoſitionem nobis, & ipſi Sedi, ac perſonis indulta huiuſmodi conferendi, prouidendi, ſeu inſtituendi obtinentibus reſpectiuè reſeruamus, data tamen in Parochialibus Iuriſpatronatus optione ipſis patronis, vt ſi inſtitutio ad ordinarios ſpectabit, ipſis ordinarijs illam facere negligentibus, & vltra dictos duos menſes differentibus, poſſint pro huiuſmodi inſtitutione obtinenda habere recurſum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apoſtolicam. Prohibentes etiam eiſdem ordinarijs, ne tempus decem dierum eiſdem ordinarijs, & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominãdum idoneos clericos coram deputatis Examinatoribus pręfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant, vel præſumant. Diſtrictius inhibentes, ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiuſmodi obtinentes, vt præfertur, quacunque ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de huiuſmodi beneficijs ſic reſeruatis (vt præfertur) diſponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel alias innouare quoquo modo præſumat. Vt autem non ſolum dignis, ſed magis idoneis repertis iuxta eiuſdem Concilij decretum Parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ſi Epiſcopus minus habilem poſthabitis magis idoneis elegerit, poſſint ij, qui reiecti fuerint, à mala electione huiuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium vti noſtrum, & Sedis huiuſmodi delegatum, aut alias ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac præelectum ad nouum examen coram ipſo appellationis Iudice, & eius Examinatoribus prouocare, & conſtito de

priotis

prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque reuocato, Parochialis magis idoneo per eundem Iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, prouisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quo minus electio per ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & prouisus ab eadem Ecclesia causa appellationis huiusmodi dependente non amoueatur. Et si quis à sententia per Iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tũc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit. Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quę pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę, quodque litterę ipsę Camerę, & Cancellarię Apostolicarum, & Audientię causarum Palatij Apostolici valuis, & in acie Campi Florę dimissis inibi copijs publicatę, & affixę, omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatę fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę declarationis, statuti, decreti, reseruationis, prohibitionis, inhibitionis, & voluntatis infingere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctũ Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quintodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

BVLLA

Medici quæ teneantur obseruare in curatione Infirmorum.

PIVS Papa Quintus, Ad perpetuam rei memoriam. SVPRA gregem Dominicum nostre vigilantię diuinitus creditum vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium ad ea, per quę animarum saluti cum diuini nominis gloria consuli valeat, libenter intendimus, vt Christifideles post Baptismum in peccata lapsi, per Sacramentum Pœnitentię Deo reconcilientur. Sanè cum infirmitas corporalis non nunquam ex peccato proueniat, dicente domino languido, quem sanauerat, Vade noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, ac propterea prouidè fel. record. Innocentius Tertius predecessor noster Medicis pręceperit, vt cum eos ad ęgrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ęgritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam salutare pręceptum nulla temporis pręscriptione aboleri, sed semper obseruari, constitutionem pręfatam auctoritate Apostolica tenore pręsentium innouamus, & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quod omnes Medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, vt idoneo Confessori omnia peccata sua iuxta ritum S.R.E. confiteantur, neque tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem Confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi, vt præmittitur, peccata sua confessi fuerint. Coniunctos verò, ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quam coniuncti, & familiares pręfati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant. Quòd si qui Medicorum pręmissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò sint infames, & gradu medicinę, quo insigniti erant, omnino priuentur, & à Collegio, seu

vniuersitate Medicorum eijciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Et vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, volumus, & eadem auctoritate præcipimus, & mandamus, vt nullus posthac vbique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quouis collegio, & vniuersitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione contenta medio eorum iuramento coram Notario publico, & testibus obseruare in eorum manibus, vel Ordinarij iurauerint, & de huiusmodi iuramento in priuilegio, seu licentia medendi specialis métio fiat. Quòd si collegia, & vniuersitates præfatæ non recepto a promouendis iuramento huiusmodi eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant, Mandantes in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & Diœcesibus proprijs præsentes nostras literas publicari faciant, ac iuramẽtum prædictum à Medicis iam promotis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendũ in Ciuitatibus, & Diœcesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ, & omnibus priuilegijs eisdem medicis tam coniunctim, quam diuisim eis, & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos Pontifices priuent, & ab ingressu Ecclesiæ arceant, donec resipuerint. Non obstantibus præmissis priuilegijs, indultis, literis Apostolicis, quibusuis personis collegio, & vniuersitati, sub quibusuis verborũ formis, & tenoribus concessis, quæ omnia, quoad effectum validitatis constitutionis nostræ tantum reuocamus, cassamus, & annullamus. Et omnes Principes sæculares, ac alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum fauorem, & auxilium præstẽt, ac contrafacientes pęnis etiam temporalibus afficiant. Volumus autẽ, quod præsentes literæ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficilè foret præsentes ad singula quæque loca deferri,

ri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur; quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensę. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die viij. Martij. Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus nostri anno primo.

SIXTI PAPAE QVINTI CONSTITVTIO.

De habitu, & tonsura per Clericos, seu Milites beneficia, vel etiam Pensiones obtinentes deferendis, & pœnis contra inobedientes inflictis.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. CVM Sacrosanctam Dei Ecclesiam, quam Saluator noster suo preciosissimo sanguine acquisiuit, sponsam sibi elegerit, & nobis licet indignis custodiendam tradiderit: eidem sine ruga, sine macula, atque in omnibus suis membris placenté obseruare debemus, vt in ea omnia ordinata, singula distincta, cuncta interius, exteriusque pietatem, & deuotionem redolentia inueniãtur, & vt ineffabilibus circumamicta varietatibus speciosa in oculis suis appareat, quantum fauente Domino valemus, id ipsum munus exequi decreuimus. Quare animaduertentes, quod qui in sortem Domini ad eiusdem Ecclesię decus, & ornamentum sunt vocati, & ex eo Clerici nomen cõsecuti, quique Ecclesiastico censu viuunt, singulari aliquo signo à reliquo populo distingui debent, ne cui eorum iure dici possit: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, & ad hoc ipsum solicitudinis nostrę obtutus dirigentes, ne sanguis eorum de manu nostra requiratur: cum ingenti cordis nostri dolore inuenimus complures supradicta Domini sententia iustè redarguendos: Nam eorum plerique Clericali honore neglecto, in vestibus laicalibus incedentes, eo se mirifico indignos pri-

uilegio

uilegio reddiderunt. Quapropter licet sacris Canonibus, Concilijs generalibus, & Apostolicis constitutionibus certus circa eorum, qui Clericali charactere insigniendi sunt, habitum, ætatem, & alias qualitates sit pręscriptus modus, & contra Clericos in habitu clericali, & tonsura non incedentes imposita pœna, nempe vt gratijs, & immunitatibus, & alijs priuilegijs Clericalibus minime gaudeant, tamẽ cum iniuria temporum, & forsan dormientibus pastoribus inimicus homo lętifera transgressionis zizania superseminauerit. Nos propterea his, & alijs rationabilibus de causis adducti, ne quis nimia siue pastorum, siue temporum indulgentia, & impunitate, seu oscitantia cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & proprię salutis dispendio de cętero abutatur; hac nostra perpetuò valitura constitutione pręcipimus & mãdamus omnibus, & quibuscunq; Clericis non solum in sacris, sed etiã in alijs minoribus ordinibus constitutis, & clericali tantum tonsura insignitis, & nedum beneficia Ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia nunc, & pro tempore obtinentibus, & in illis, vel ad ea ius habentibus, verum etiam pensiones super quibusuis fructibus, redditibus, aut prouentibus quarum vis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarũ, Cathedralium, & aliarum quarumcunque Ecclesiarum, seu Abbatialium, Capitularium, & Conuentualium mensarum, nec non Monasteriorum, Pręposituraruin, Pręposicatuum, Prioratuum, Pręceptoriarũ, Hospitalium, Canonicatuum, prębendarum, dignitatuum, personatuum, administrationum, officiorum, & beneficiorum quorumcunq; Ecclesiasticorum sęcularium, & quorumuis ordinum regularium, seu illorum distributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis, & obuentionibus vniuersis sibi reseruatas, ac fructus ipsos, prędiaue, aut bona Ecclesiastica loco pensionum sibi assignatos, vel assignata ex quacunque concessione, seu dispensatione Apostolica, percipientibus etiã coniugatis, pręsertim si ijdem Clerici coniugati iuxta constitutionem pię mem. Bonifacij Papę VIII. prędecessoris nostri in Concilio Tridentino innouatam priuilegijs Clericalibus vti velint, tam in Romana Curia degentibus, quam extra eam vbilibet gentium, & locorum constitutis, vt ipsi, & eorum quilibet quantumuis exempti existant, & quouis priuilegio, vel immunitate gaudeant, quacunque dilatione, aut tergiuersatione postposita, debeant omnino qui in Vrbe pręsentes fuerint, intra xv. dies, qui verò citra montes, intra quatuor menses, qui denique vltra montes constituti sunt, intra octo menses à die publicatio-

nis pręsentium literarum in Romana Curia faciendæ, tonsuram, & habitum clericalem, vestes scilicet talares, aut Milites infra dicendi, quibus pensiones, aut fructus, aliaue bona Ecclesiastica reseruata sunt, suę militię conuenientem quacunque remota excusatione assumere, & iugiter deferre. In futurum autem non nisi actu Clericis in habitu clericali, & tonsura, & Militibus infra dicendis in Militari incedentibus suę militię propria, aut alia quæcunque Ecclesiastica etiam simplicia beneficia respectiuè conferantur, aut commendentur, aut pensiones, fructusuè, aut bona Ecclesiastica reseruentur. Alioquin ipsos, & ipsorum quemlibet, qui quoad gestandum habitum clericalem, & militarē supradictum lapso huiusmodi tempore eorum vnicuique, vt supradictum est, prefixo nostris huiusmodi pręcepto, & mandato nunc, & in posterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediuerint, præter alias pœnas contra eos inflictas etiam quibuscunque dignitatibus, administrationibus officijs, Canonicatibus, & prębendis, ac beneficijs etiam simplicibus, & præstimonijs per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel aliàs pro tempore obtentis, necnon pensionibus, & fructibus, ac prædijs, bonisque Ecclesiasticis huiusmodi quocunque modo eis reseruatis, vel reseruandis, omnique iure sibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, harum serie ex certa nostra scientia, deque Apostolicę potestatis plenitudine priuamus, ac sine vlla alia monitione, citatione, Iudicis decreto, aut ministerio ipso facto priuatos declaramus, ac etiam beneficia ipsa per priuationem huiusmodi vacare, & libere alijs conferri posse, quàm etiam pensiones cassatas, extinctas esse, & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reseruationes cessare, & quemquam vlterius ad illorum solutionem minimè teneri, & ob non solutionem censuras, & pęnas aliquas incurrere non posse, nec debere decernimus, ipsasque dignitates, personatus, administrationes, officia, necnon Canonicatus, & præbendas, & beneficia sic pro tempore vacantia, collationi, prouisioni, & dispositioni nostræ, & Roman. Pont. pro tempore existentis perpetuò reseruamus, statuentes sic in pręmissis vniuersis, & singulis, per quoscunque iudices, & Commessarios etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quauis causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cœterum Milites quarumuis militiarum sub regula aliqua approbata canonicè institutarum, vel alios Rom. Cur. officiales, qui non vti Clerici, sed potius tanquam Milites iuxta priuilegia, & dispensationes Apostolicas eis in genere, vel in specie per nos, aut prædecessores nostros nominatim concessa, & sub fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri constitutione, quæ incipit, Sacrosanctum &c. huiusmodi priuilegiorum forsan reuocatoria minimè compræhensa, beneficia militiæ, quam professi sunt, regularia obtinent, seu pensiones super quibusuis fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiasticis etiam prædictarum Ecclesiarum, & beneficiorum sęcularium, aut fructus ipsos sibi reseruatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipient in futurum, siue clericali charactere insigniti sint, siue non sint: qui verò Clerici sunt, etiam si ab initio tempore reseruationis pensionum, seu fructuum huiusmodi, regularem habitum nondum susceperint, nec militijs officiorum Rom. Cur. ascripti fuerint, sed post factas eorum cuique reseruationes ante, vel post publicationem præsentis constitutionis Milites effecti extiterint, sub præcepto, & mandato præfatis de habitu, & tonsura clericali deferendis, nolumus compræhendi, sed ijs permittimus, vt regulari habitu militiæ, quam professi sunt, conuenienti, vel si ipsi Milites Rom. Cur. officiales fuerint, qui pensiones, aut fructus, aliauè prædia, aut bona Ecclesiastica ex dispensatione, seu priuilegio Apostolico percipiant, habitu militari suprascripto absque alicuius censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ incursu licite vti valeant, & nihilominus tam beneficia suæ militiæ regularia retineant, quàm etiam pensiones super Ecclesiarum, & beneficiorum prædictorum etiam sęcularium fructibus, seu bona, vel fructus pręfatos sibi pro tempore reseruatos percipiant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon consuetudinibus etiam longissimo, & immemorabili tẽpore obseruatis, quę abusus, & corruptelæ potius censendæ sunt, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis quorumcunque tenorum existant, quæ omnia nolumus cuiquam aduersus pręmissa in aliquo suffragari.

Mandantes verò vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Pręlatis, ac locorum ordinarijs, vt in suis quisque Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus curent pręsentes literas, earumque exempla publicari, & inuiolatè obseruari. Et ne quis pręsentium literarum ignorantia se valeat excusare, iubemus illas

illas ad valuas Basilicarum S. Ioannis Later. & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, & in Cancellaria Apostolica affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa relinqui, & deinde in eadem Cancellaria Apostolica in libro Quinterno appellato, inter cœteras cō-stitutiones perpetuas describi, & registrari. Decernentes publicationem in Basilicis præfatis, & in acie Campi Floræ faciendam, post lapsum temporis superius præfixi vnumquemque arctare, & afficere, perinde ac si ipsę præsentes literæ singulis personis præfatis personaliter intimatæ fuissent: Volumus quoque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutę obsignatis, plenam, & indubitatam fidem in iudicio, & extra adhiberi, quę ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum pręcepti, mandatorum, priuationis, decretorum, reseruationis, statuti, voluntatum, permissionis, & iussionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorū Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, quingentesimo octuagesimo octauo, Quinto Idus Ianuarij, Pontificatus nostri Anno Quarto.

SIXTI

SIXTI PAPAE QVINTI

Indultum deferendi habitum non clericalem pro aliquibus S. D. N. familiaribus, & ijs, qui pensiones non vltra LX. duc. percipiunt.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, PASTORALIS est curæ nostræ, & ita æquum arbitramur, vt quanto possumus studio indemnitati, & vtilitati tum pauperum Clericorum, tum etiam personarum, quæ nostris obsequiis insistendo labores, & incommoda assidue subire non cessant, consulere procuremus, ac earum necessitati prospiciamus, ne dum promptè, & expeditè ministeria eis iniuncta obire conantur, non solum congrua præmia non recipiant, verum aliquid detrimenti patiantur. Cum itaque nostra nuper edita constitutione de Habitu, & Tonsura per Clericos, seu Milites beneficia, vel pensiones obtinentes deferendis, quæ incipit: Cum Sacrosanctam, &c præceperimus vniuersis Clericis, nedum beneficia Ecclesiastica obtinentibus, sed etiam pensiones super fructibus Ecclesiasticis, aut fructus ipsos sibi reseruatos percipientibus, & habitum, & tonsuram clericalem, vestes scilicet talares, Militibus verò ipsas pensiones, aut beneficia suæ militiæ propria obtinentibus, vt habitum suæ militiæ conuenientem iugiter deferant, pęna priuationis beneficiorum, pensionum, ac fructuũ huiusmodi cuilibet inobedienti imposita, prout in eadem constitutione latius continetur. Nonnulli verò ex Clericis præfatis pensiones, aut fructus huiusmodi admodum tenues percipientes, alij quoque nostri familiares actu nobis inseruientes, varijs obsequiis, & ministeriis addicti, qui vltro citroque vbi opus est commeare, & accurrere coguntur: idcirco vix possint sine maximo incommodo, impedimento, & dispendio habitum Clericalem suprascriptum gestare. Nos eorum commodis opportunè prouidere, eosq; specialis gratiæ fauore prosequi volentes, omnibus, & quibuscunque Clericis, tam in Romana Curia, quam extra eam vbilibet gentium, & locorum constitutis, qui pensiones, fructus, aut prædia, vel bona Ecclesia-

clesiastica, sibi in vna, vel pluribus vicibus reseruata, & concessa summam, seu valorem annuum Sexaginta ducatorum auri de Camera insimul non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum: ac prætereа nostris familiaribus, nobis in quibusdam inferioribus ministeriis, quales sunt, qui à pedibus, seu parafrænarij, mensæ dispositores, aut credētiarij, aut dispensatores vulgò dicuntur, & aliis his similibus seruitiis actu ministrantibus, quiuè in futurum inseruiēt: necnon quibusuis nostrorum intimorum familiarium actu nobis in Palatio nostro Apostolico inseruientium familiaribus continuis cōmensalibus, præsentibus, & futuris, qui pensiones, aut fructus, bonauè Ecclesiastica loco pensionum, vsque ad quamcunque summam, & valorem nunc percipiunt, aut in posterum pro tempore percipient, vt ipsi, & eorum quilibet in habitu, & tonsura Clericali incedere minime teneantur, sed laicali habitu impunè, & licitè vti possint, quo sua munia promptius, expeditiusq; obire valeant, nec pænis in eadem constitutione inflictis subiaceant, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus. Reliquis autem nostris, aut personarum nobis inseruientium familiaribus continuis commensalibus, omnibusque, & singulis aliis tam Clericis, quam Militibus beneficia fructuum, vel bonorum Ecclesiasticorem reseruationes, ac pensiones obtinentibus, aut in ipsis beneficiis, vel ad ea ius habentibus in Vrbe præsentibus tempus xv. dierum in dicta constitutione præfixum, nec dum elapsum ad alios xv. dies à fine primo dicti termini computandos extendimus, & prorogamus. Ac demum militibus tam militiarum canonicè institutarum, quàm Rom. Cur. Officialibus, qui iuxta præfatam nostram constitutionem in militari habitu incedere tenentur, vt vestibus communibus, cum insignibus tamen Crucis, aut numismatis suę militiæ propriis vti valeant, atque hac ratione ipsius constitutionis præcepto plenè satisfacere censeantur, pariter indulgemus. Eos verò Clericos, aut Milites, quibus pensiones, aut fructus, bonauè, aut prædia Ecclesiastica ad quamcunque summam reseruata, aut reseruari concessa sunt, vel posthac reseruabuntur, non aliter ad gerendum huiusmodi habitum teneri volumus, nisi postquã pensiones, fructus, aut alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cæperint, vel per eos steterit, quo minus exigant, vel percipiant. Decernentes sic in præmissis iudicari debere, nec non irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam qua vis auctoritate scienter, vel

igno-

ignoranter contigerit attentari. Prȩfata constitutione nostra, quoad reliqua omnia præsentibus litteris non excepta, nihilominus in suo robore perpetuò permansura. Volumus autem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem vbique tam in dicta Curia, & in iuditio, quàm extra adhiberi, quæ eisdem prȩsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, indultorum, extensionis, prorogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prȩsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ. Millesimo quingentesimo octuagesimo octauo. Prid. Kal. Februarij Pontificatus nostri Anno quarto.

BVLLA PII PAPAE II.

De pœnis eorum, qui minus canonicè faciunt se promoueri ad sacros ordines.

PIVS, Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. CVM ex sacrorum ordinum collatione character inuisibilis animę imprimatur, sacra misteria dispensentur, & ipsarum cura tribuatur animarum, in eorum susceptione excessus graues tanto magis plectendi sunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur. Cum itaque (sicut dignorum relatione non nisi molestè accepimus) nonnulli Clerici extra tempora à iure statuta, quidam ante ætatem legitimam, aliqui verò sine dimissorijs literis, contra sanctiones canonicas, se faciunt ad sacros ordines promoueri, nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, vt alijs in posterum committendi similia aditus præcludatur, auctoritate Apostolica, hac constitutione perpetuò valitura, statuimus, & ordinamus, quod omnes, & sin-

 guli,

guli, qui abſque diſpenſatione cañonica, aut legitima licentia, ſiue extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legitimam, vel abſq; dimiſſorijs literis, etiam citramontanis, (præterquam ſi in hoc vltimo caſu, per Cameram Apoſtolicam iuxta illius ſtylum ordinati fuerint, & ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri) à ſuorum ordinum executione ipſo iure ſuſpenſi ſint, & ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea, vltra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas, beneficijs Eccleſiaſticis poſſint iure priuari. Volumus autem, quod pręſens noſtra conſtitutio, in Romana Curia exiſtentes, poſt quindecim dies, abſentes verò Italicos poſt duos menſes, alios verò vltramontanos poſt ſex menſes, ab ipſius in audientia Contradictarum, & Cancellaria Apoſtolica, publicatione, & affixione ligare incipiat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno ab Incarnatione Dominica, Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo, Quintodecimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

SIXTI

SIXTI PAPAE QVINTI CONSTITVTIO.

Contra Clericos male, aut simoniacè promotos, ac in Episcopos in ordinum collatione peccantes.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, SANCTVM & salutare sacri ordinis Sacramentum ab ipso Domino, & Saluatore nostro Iesu Christo institutum, beatisq; Apostolis, & eorum legitimis successoribus singulari diuinę bonitatis munere traditum, ita ad Dei Omnipotentis gloriam, salutemq; animarum sanctè, & religiosè administrari decet, vt quæ vel ex typo, & figura veteris legis, vel aliàs ex multa Sanctorum Patrum prouidentia, circa ordinandorum natales, ætatem, vitæ, ac morum probitatem, sanctitatem, scientiam, & alias qualitates in sacris ordinationibus requisitas, per sacros canones, vel Apostolicas constitutiones, aut generalium Conciliorum decreta salubriter statuta fuerunt, ea inuiolate obseruentur. Nam si in veteri testamento tam multa de integritate, & mundicia Sacerdotum, & ministrorum Altaris, deque eorum præstantia, & dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiam Prophetam, labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est: certè multo maior ratio, & diligentia adhibenda erit in promouendis tam inferiorum graduum clericis, quã etiam Præsbiteris, qui ad consumationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, constituuntur, prout de his ipsis, & diuino verbo, & beatorum Apostolorum præceptis, ac simul Sanctorum Patrum statutis sæpissime traditum est. Quare nos pro ea, quę nobis à Domino iniuncta est cunctarum Ecclesiarum cura, & solicitudine ipsos Pastores, & Præsules Ecclesiarum, quorum proprium munus est, personas idoneas clericali militiæ ascribere, & ad minores, maioresque ordines ritè promouere auctoritate nostra duximus admonendos, vt in exequendo hac in parte suo Pastorali officio attentius

posthac inuigilent, canonicas sanctiones, vt par est, obseruent, ac vt nemini detur offensionis occasio, neuè eorum ministerium vituperetur, studeant vitare ea omnia scandala, & absurda, quæ ex vitiosa, & minus canonica Clericorum ordinatione cernimus cum magno animi nostri dolore frequentius exoriri.

Cum enim multi etiam interdum inhabiles, & indigni non vocati Sancta Dei vocatione, sed potius Satanæ dolis decepti prætextu deuotionis, & pietatis rem quidem sacram, & diuinum munus, intempestiuè tamen, & inordinatè affectantes, seu temporale aliquod commodum, aut lucrum sibi proponentes, vel nimia simplicitate, & imperitia malitiauè, aut fraude ad suscipiendum clericalem characterem, aliosq; ordines ante ætatem legitimam, vel à non suo Episcopo, aut non præuio debito examine, & approbatione, siue aliàs minus rite, vel etiam temerè se ingerant: Debent sanè Episcopi paterna charitate, & prudentia eorum saluti, qui sæpe nesciunt, quid petant, melius etiam, quàm ipsimet postulant, & salubrius consulere, nec tam quid flagitent, quàm quid expediat, considerare: summa verò diligentia prouidere, tum in alienæ Diœcesis subditis ordinandis, ne quemquam promoueant sine eorum ordinarij literis dimissorijs, tum in recognoscendis ipsis literis, ne falsò, aut ab aliquo, qui auctoritatem illas concedendi non habeat, confectæ sint, tum denique in examinandis natalibus, ætate, vita, moribus, scientia, idoneitate, titulo, & reliquis qualitatibus, ne quid in suæ, vel alienæ Diœcesis personis ad clericalem honorem, & Ecclesiasticos ordines promouendis desideretur eorum, quæ ex præscripto Sacrorum Canonum requiruntur.

Vt igitur Præsules Ecclesiarum intelligant, si in re tam graui, & tāti momenti culpa, aut negligentia peccauerint, se non modo in tremendo Dei iudicio, verum in hoc quoque sęculo Rom. Pontifici suæ villicationis rationem fore reddituros; Præsenti constitutione perpetuò statuimus, & ordinamus, vt si in posterum Antistes aliquis Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgēs: aut Abbas ad primam tonsuram, minoresque ordines suis subditis conferendos à Sede Apostolica auctotitatem habens, quemcunque sæcularem, vel cuiusuis ordinis, aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, seu aliàs inhabilem, vel irregularem existentem, vel extra tempora à iure statuta, vel absque veris dimissorijs sui ordinarij literis, aut per saltum, vel furtiuè, aut quoad sęculares sine titulo suffi-

cientis

cientis beneficij, vel patrimonij, aut ante ætatem per sacri generalis Tridentini Concilij decreta primæ tonsurę, aut cuique ordini præscriptam, aut non seruatis temporum interstitijs, ita vt aliquis vnico die, seu continuatis diebus ad plures ordines sacros, vel post vnum ordinē susceptum sine causa rationabili antequam tempus ab eodem Concilio Tridentino præfixum elabatur, ad alium ordinem promoueatur, sine dispensatione, aut indulto Apostolico clericali charactere non legitime insigniuerit, aut ad ordines minores, vel sacros, vt prefertur, vel alias male promouerit, siue id scienter, siue ignoranter fecerit, nisi debita diligentia adhibita iustus error, & probabilis facti ignorantia eum excuset, vt in quo deliquit, in eo puniatur, à collatione quorumcunque ordinum, atque adeò ipsius tonsuræ, & ab executione omnium munerū Pontificalium eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesię interdictus existat, alijsque grauioribus pęnis nostro, & pro tempore existentis Rom. Pont. arbitrio puniatur.

Quod si spreta huiusmodi suspensione, & interdicto in præmissis se temerè ingesserit, etiam a regimine, & administratione suę Ecclesiæ, seu Monasterij, & à perceptione fructuum mensę eiusdem, ac quorumcunque beneficiorum per eum in titulum, vel commendam, seu aliàs obtentorum suspensionem eo ipso incurrat, eiusque interdicti, aut suspensionis relaxationem, aut pœnarum remissionem ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore existente nequeat obtinere.

Et nihilominus fel. rec. Pij II. & aliorum Romanorum Pontificum nostrorum prædecessorum, qui per suas constitutiones, aut in Cancellaria Apostolica publicatas regulas contra huiusmodi Clericos malè promotos, diuersas pęnas inflixerunt, vestigijs inhęrentes, eosdem Clericos posthac malè promotos ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuò suspensos declaramus; & si in eis ministrare pręsumpserint, illos sic irregulares effectos, omnibus, & quibuscunq; per eos in titulum, commendam, aut aliàs obtentis dignitatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis cum cura, & sine cura quomodocunque qualificatis sęcularibus, vel cuiusuis ordinis, aut militiæ regularibus, ac etiā si ipsi Clerici regulares fuerint actiua, & passiua voce, ipso facto priuamus, & ijs priuatos, atque ad illa, & alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces esse decernimus, & declaramus, dignitatum, officiorum, & beneficiorum huiusmodi,

sic

ſic pro tempore vacantium diſpoſitionem nobis, & Apoſtolicę Sedi perpetuò reſeruantes.

Vt autem homines, qui nimia indulgentia, & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate hactenus fuerunt ad huiuſmodi facinora procliuiores, ea ſublata, & præcluſa ab his abſtineant, & caueant in futurum tam abſoluendi, quam diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperius expreſſis, etiam in foro conſcientię nobis, & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat auctoritate, & tenore pręmiſſis perpetuò reſeruamus; Inhibentes ne à quoquam ſęculari, vel cuiuſuis ordinis regulari Præsbitero, vel Pręlato quauis auctoritate ſungente, nec per quęcunque Iubilea, & Indulgentias, etiam pleniſſimas, & extraordinarias per noſtros prędeceſſores, aut noſmetipſos, vel ſucceſſores noſtros, anno Iubilei, aut alio quouis tempore, & Cruciatę Sanctę, vel quocunque alio titulo, modo, & forma, Motu proprio, & conſiſtorialiter, ſeu ad quorumcunque Principum, Regum, aut Imperatoris inſtantiam, eorumuè contemplatione, & intuitu cum quibuſuis ampliſſimis in genere, vel in ſpecie derogatorijs clauſulis conceſſa, vel in poſterum concedenda, nec vigore, aut prętextu facultatum, aut priuilegiorum Mare magnum, aut aliàs quomodolibet nuncupatorum quibuſuis ordinibus, Congregationibus, aut perſonis regularibus, aut Epiſcopis per decreta Concilij Tridentini, aut officio Sacrę Pœnitentiarię Apoſtolicę, vel Minoribus, aut etiam Maiori, Pœnitentiarijs noſtris, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis, vel aliàs quomodolibet pro tempore conceſſorum, Perſonę ſic, vt pręfertur, delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites, ſeu Abbates promouentes, quàm Clerici malè inſigniti, ſeu ordinati à reatibus, & exceſſibus pręfatis abſolui, pręterquam in mortis articulo poſſint, aut debeant, nec cum ijs ſuper irregularitate propter pręmiſſa contracta, etiam ſi crimen penitus occultum fuerit, quouis modo valeat diſpenſari.

Verumenimuero quia grauioribus morbis fortiora ſunt adhibenda remedia, & iuxta perſonarum, locorum, ac temporum qualitates leges ſunt immutandæ, pœnæq́ue aggrauandæ, & emolliendæ; cum huiuſmodi peccatum Satana ſuggerente, hominumq́ue fragilitate aſſentiente videatur iam ad culmen vitiorum aſcendiſſe, & in præcipiti eſſe: Ideo vt homines ſaltem pœnæ timore, & proprij honoris confuſione à peccato deterreantur, nouum huic veneno antidotum cogimur præpararate: Ac propterea volumus, vt qui abſolutionem, & diſpenſationem huiuſmodi petent, ſemper quamuis delictum adhuc occultum

extite-

extiterit, non per officium Sacræ Pœnitenliæ, ſed à nobis,& pro tempore exiſtente Romano Pontifice in vtroque foro abſolutionem petere teneantur: alioquin ipſę conceſſiones, & abſolutiones, etiam cum clauſula, quod præſentis conſtitutionis tenor, & alia prædicta habeantur pro expreſſis, prorſus nullę, irritę, & inualidę exiſtant, ac nemini penitus ſuffragentur.

Cœterum ſi quis Antiſtes, vel Abbas ſeruatis quidem cunctis pręmiſſis, & cœteris omnibus, quę in ipſius tonſurę, & ordinum collatione obſeruari debent, perſonas habiles, & idoneas, ſed tamen recepta ab ijs, quibus tonſuram, aut ordines conferet pecunia, pretio vel pręmio ſimoniacè in futurum inſigniuerit, vel promouerit: volumus vt pręter alias cenſuras, & pœnas contra ſimoniacè ordinantes, & ordinatos à ſacris Canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis aliàs inflictas, & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia, & ſingula ſupradicta in ſic promouentibus, & promotis locum habeant.

Decernentes pręſentes literas ſub quibuſuis conceſſionibus, facultatibus, & gratijs, etiam in caſibus quibuſcunque Sedi Apoſtolicę quomodolibet, etiam in Bulla Cœnę Domini reſeruatis, etiam ſub nomine Iubilei plenarij, vel Cruciatę Sanctę abſoluendi facultatem quibuſuis perſonis generaliter, vel ſpecialiter tribuentibus, minime comprehendi: ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & cenſeri, ſicque in pręmiſſis vniuerſis, & ſingulis per quoſcunque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quauis cauſa, & inſtantia iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Concilijs etiam generalibus editis, cœteriſque contrarijs quibuſcnnque.

Vt autem præſentes literæ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad Valuas S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ affigi, & publicari, & poſt quindecim dies, qui in vrbe ſunt, qui verò extra eam, & citra Montes intra quatuor menſes, qui demum vltra Montes erunt, intra octo menſes à die publicationis huiuſmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac ſi eorum cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent, ac earundem præſentium literarum exemplis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſub

ſcriptis,

ſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem fidem in iudicio, & extra illud adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, declarationum, priuationis, reſeruationum, inhibitionis, voluntatum, decretorum, & mandati, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Nonis Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

BVLLA PAVLI PAPAE IIII.

Contra negantes Trinitatem, aut diuinitatem Ieſu Chriſti, aut eius Conceptionem de Spiritu Sancto, aut eius Mortem, vt nos redimeret, aut Virginitatem Beatiſſimæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ.

PAVLVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. CVM quorundam hominum prauitas, atq; iniquitas eo vſque noſtris temporibus proceſſerit, vt ex ijs, qui à Catholica fide aberrant, & deſciſcunt, plurimi quidem nō ſolum diuerſas hęreſes profiteri, ſed etiam ipſius fidei fundamēta negare pręſumant, & eorum exemplo multos in interitum animę deducant: Nos cupientes pro noſtro paſtorali officio, & charitate huiuſmodi homines, quantum cum Deo poſſumus, à tam graui, & peſtilenti errore auocare, ac cœteros, ne in talem impietatem labantur, paterna ſeueritate admonere omnes, & ſingulos, qui hactenus aſſeruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt Deum Omnipotentem non eſſe Trinum in perſonis, & incompoſita omnino, indiuiſaque vnitate ſubſtantię, & vnum vna met ſimplici Diuinitatis eſſentia, aut Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum non eſſe verum Deum, eiuſdem ſubſtantię per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto, aut eundem ſecundum carnem non eſſe

con-

conceptum in vtero Beatissimę, semperque Virginis Marię de Spiritu Sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph. Aut eundem Dominum, ac Deum nostrum Iesum Christum non subijsse acerbissimam Crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam ęternam reconciliaret. Aut eandem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in Virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Apostolica auctoritate requirimus, & monemus, quatenus infra spatium trium mensium à publicatione pręsentium in Romana Curia, quoad residentes in ea, modo infrascripto: extra eam verò quo ad alios in illa non residentes, modo, & forma per Diœcesanos statuendis, facienda incipiendorum, quos pro primo, secundo, & tertio, ac peremptorio termino, ac monitione canonica eis, & eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus, & credulitate huiusmodi, ac quibuscunque alijs in fide prædicta erroribus, in quos hactenus lapsi sunt, resipuisse, & ad vnitatem Ecclesiæ redeundo assertionem dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi in manibus Inquisitorũ hæreticæ prauitatis Ciuitatum, & locorum, in quibus ad præsens degunt, realiter, & cum effectu abiurasse, & infra alios tres menses à die abiurationis huiusmodi incohandos, de eadem abiuratione venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitoribus generalibus plenam fidem fecisse debeant. Nos enim eiusdem Dei omnipotentis exemplo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, omnes, & singulos, qui, vt præfertur, ab assertione, dogmatibus, & credulitate, ac alijs erroribus prædictis resipuerint, & ad vnitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem, dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi sponte abiurauerint, & de eadem abiuratione præfatis Inquisitoribus generalibus fidem fecerint, ac pœnitentiam priuatam per dictos particulares Inquisitores eis iniunctam cum effectu adimpleuerint, à prædictis, & quibusuis alijs, quantumuis grauibus, & enormibus hæresibus, & à fide Christi apostasijs, ac in eadem fide erroribus: nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque sententijs, censuris, & pœnis, tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, etiam bonorum priuatiuis, & corporis afflictiuis, ac capitalibus in tales à iure, vel ab homine latis, & promulgatis, & per eos præmissorum occasione incursis (dummo-

do delati, aut inquisiti, seu relapsi non sint) dicta auctoritate tenore præsentium in vtroq; foro absoluimus, & liberamus, ac cum eis super irregularitate, quam propterea contraxerint, etiam si sic ligati Missas, & alia diuina officia, etiam forsan in contemptum clauium celebrauerint, aut illis aliàs se immiscuerint; Quodq; ea ipsa irregularitate, & cæteris præmissis non obstantibus, qui promoti non fuerint ad omnes etiam sacros, & Præsbiteratus ordines promoueri, & in illis tam ipsi, quàm qui iam etiam post incursam hæresim promoti fuerint, in Altaris ministerio ministrare: Nec non tam Clerici, quàm Laici, & vtriusq; sexus personæ, eorumque filij, nepotes, descendentes, ad gradus, honores, ordines, & officia, ac alia quæcunque assumi, illaque suscipere, & exercere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus, eisque pariter indulgemus, nec non omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam circa eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem ab eis penitus, & omnino abolemus. Et insuper cum errores, quos supra narrauimus, ita graues, & nefandi sint, vt illi, qui in eos decidunt, excusationem non habeant, sed subuersi potius, atque immanes, quàm hæretici merito dici possint: hac nostra perpetuò valitura constitutione sancimus, quòd tam illi, qui hactenus in ipsos errores, vel eorum aliquem lapsi sunt, & infra supradictum terminum nō resipuerint, & ea, quæ supra diximus, non adimpleuerint quàm omnes, & singuli alij, qui in futurum in illos, vel illorum aliquem quomodolibet prolabentur, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & vt relapsi Curiæ sęculari tradi, & per ipsam curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possint in omnibus, & per omnia, perinde ac si verè, & realiter in hæresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem pręmissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de illis ignorantiam prętendere, ac se legitimè excusare possit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd pręsentes literę, seu earum transumptum, cui si manu Notarij publici subscriptum, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitum fuerit, eam prorsus fidem in iudicio, & extra adhiberi statuimus, quę ipsis literis adhiberetur, si originaliter exhiberentur, in eadem Curia per aliquos Cursores nostros in Basilicę Principis Apostolorum,

lorum,

lorum, & Ecclesię Lateranen. de Vrbe, & Cancellarię Apostolicæ valuis, & acie Campi Florę, vt moris est, extra Curiam verò prædictam modo, & forma per venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ac alios Ecclesiarum Prælatos, quibus in virtute Sanctæ obedientiæ per easdem præsentes mandamus, vt literas, siue transumptum huiusmodi vbique per eorum Prouincias, Diœceses, & Ecclesias sincera charitate publicent, & publicari faciant, statuendis, publicentur, earum exemplo in singulis locis, in quibus publicatio ipsa fiet, affixo, & dimisso. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ requisitionis, monitionis, assignationis, absolutionis, liberationis, dispensationis, indulti, abolitionis, sanctionis, voluntatis, decreti, statuti, mandati, infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

BVLLA PII PAPAE V.

De impedientibus, & offendentibus personas, ac diripientibus bona, & frangentibus carceres officij Inquisitionis, eorumq́, & filiorum, & complicum pœnis.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. SI de protegendis cœteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidẽ, & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto maiore studio eam nos solicitudinem capessere necesse est, vt qui in sacro Inquisitionis hæreticę prauitatis officio versantur, sub tutela inuiolatę auctoritatis huius sedis periculorum omnium expertes, quęque munera ad exaltationem fidei Catholicę exequantur: Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus pręedictum officium subuer-

tere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eò iam nos detrusit necessitas, vt nefariam, & scelestam eorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus. Hac igitur generali constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicunque siue priuatus, siue cūcta Ciuitas siue Populus, siue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, alijsuè ministris prędicti officij, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, aut prouincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocunque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit, quiuè Ecclesias, ædes, aliasuè res siue publicas, siue priuatas officii, aut ministrorum expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit, aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliauè instrumenta, siue publica, siue priuata vbicunque posita cōbusserit, diripuerit, seu interuerterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illa exportauerit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerit, siue res, aut personas seruari, defendiuè prohibuerit, quiuè carcerem, aut aliam custodiam seu publicā, seu priuatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumuè eripuerit, receperit, occuluerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri, qui cœtum, concursumuè fecerit, siue vt aliquid prædictorum fieret, omnes accommodauerit, siue aliàs auxilium, consilium, aut fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractū, successum, direptumuè, nullum denique damnum re ipsa sit secutum, nihilominus is sit anathemate præsentis canonis auctoritate ligatus, idem quoque læsæ maiestatis reus Dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocunque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso priuatus, sęcularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictę legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, vti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum: eius filij paterna infamia subiecti, omnisque, & cuiuscunque hæreditatis, successionis, donationis, & legati siue propinquorum, siue extraneorum omnino sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant

teant

reant dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel prętendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium huius officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de prædictis, eorumque filijs statuimus illud idem de omnibus Clericis, & Præsbiteris secularibus, & quorumuis ordinum etiam exemptorum regularibus, & quacunque etiam Episcopali, & maiori dignitate præditis, ac etiam priuilegio quo modocunque suffultis, decernimus exequendum, ita vt ipsi beneficijs, & officijs omnibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate priuati per Iudicem Ecclesiasticum, hæreticorum more degradentur, demum potestati seculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subijciantur: Pontificum tamen causis nobis, & successoribus nostris reseruatis, vt re quæsita, & nobis renunciata, contra eos ad depositionem, & alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur postulare. Quicunque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se nouerint incidisse. Verum si quis etiam huiusmodi criminum conscius, vel affinis, siue religionis studio, siue pœnitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur. Cœterum eam omnium, & quarumcunque absolutionum, rationem à prædictis criminibus, nec non habilitationum, & restitutionum etiam ad famam, & honores ita deinceps habendam optamus, vt successores nostri nullas nisi saltem semestri post cuiusque assumptionem, ad huius dignitatis fastigium excursu, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hic institutum, verificatis concedant. Decernentes omnes, & quascunque huiusmodi absolutiones, habilitationes, & restitutiones, quæ precibus sic non verificatis de cœtero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata, vlla in parte derogari, nec derogatum censeri debere, & si illis ex quacunque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris, & momenti. Iubemus igitur vniuersos, & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & cœteros Ecclesiarum Prælatos per vniuersum orbem constitutos, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas, aut earum exempla in suis quisque Prouincijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis solemniter publicare, & quantum in se est, firmiter

ob-

obſeruari procurent, contradictores quoſcunque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ipſaſque cenſuras, & pœnas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſęcularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium exempla, etiam impreſſa, edantur, eaque Notarii publici manu, & cuiuſcunque Curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Cæterum omnes orbis terrarum Principes, quibus gladij ſęcularis poteſtas ad malorum vindictam eſt præmiſſa, per eam, quam ſe tueri promiſerunt, fidem obteſtamur, ita ſuas quiſque partes, ſiue in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſiue in criminum poſt Eccleſiæ ſententiam animaduerſione interponere, vt eorum quoque pręſidijs miniſtri ipſi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & religionis incremento feliciter exequantur, ampliſſimum à Domino præmium recepturi, quod fidei prædictæ aſſertoribus in ęternę beatitudinis conſortio præparauit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, legationis, ſtatuti, decreti, iuſſionis, obteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ: Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno quarto.

SIXTI

SIXTI PAPAE QVINTI

Constitutio contra exercentes Astrologiæ Iudiciariæ artem, & alia quęcunque diuinationum genera, librosq; de eis legentes, ac tenentes.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. COELI, & Terræ Creator Deus, quem vnum Omnipotentem corde credimus ad iustitiam, & ore confitemur ad salutem, & si homini, quem ad imaginem, & similitudinem creauit, mentem dederit, quæ non solum diuino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, vt magno licet cum labore præclara multa inuestigaret, atque intelligeret; tamen vt superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam conditoris sui maiestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ euentura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reseruauit. Solus enim ipse, cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas animi cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia, & singula quæcunque totius temporis decursu, & seculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec Dæmones ipsi præsentire possunt. Quare Idolorum in futuris annunciandis falsitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebãt, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Isaiam illis verbis. Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos: & in nouo testamento Christus Dominus Discipulorum suorum de futuris euentis paulò cupidius inquirentium interrogationem graui illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit. Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Nec verò ad futuros euentus, & fortuitos casus prænoscendos, (futuris euentibus ex naturalibus causis necessario, vel frequenter prouenientibus quæ ad diuina-

diuinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) vllæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces, & vanæ improborum hominum aſtutiæ, & Dœmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio omnis diuinatio damnat, ſiue quòd expreſsè ad futura manifeſtanda inuocentur, ſiue quòd ipſi prauitate ſua, & odio in genus humanum occultè, etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, vt mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quę quidem ipſis cognita ſunt non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturę ſubtilioris acumine, & alijs quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt in huiuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum euentuum inquiſitione, & pręcognitione Diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, vt ſua fraude, ac dolis miſeros homines à via ſalutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quę cum ita ſint, nonnulli hęc fideliter, & religioſe, vt debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes; tales in primis ſunt Aſtrologi, olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam, falſamque Syderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, diuinęque diſpoſitionis ordinationem ſuo tempore reuelandam pręuenire audaciſſime ſatagentes, hominum natiuitates, ſeu genituras ex motu Syderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac iudicant futura, ſiue etiam pręſentia, & pręterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſiue quauis alia temporum, & momentorum vaniſſima obſeruatione, & notatione de vniuſcuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitę curſu, honoribus, diuitijs, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cœdibus, varijs diſcriminibus, alijſque proſperis, & aduerſis caſibus, & euentibus pręcognoſcere, iudicare, & affirmare temere pręſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis; cum S. Auguſtinus pręcipuum Eccleſię lumen, eum, qui hęc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & baptiſmum pręuaricaſſe affirmet, vt illos merito Apoſtolus arguat, atq; increpet illis verbis: Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Hi igilur leuiſſimi, & temerarii homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam graue fidelium ſcandalum, & Chriſtianę fidei

detri-

detrimentum futuros rerum euentus, & quęcunque prospere, vel aduerse obuentura sunt, ac actus humanos, ea denique, quę ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris syderibusque ascribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad præcognitam illam ita inclinandi, vt sic omnino, nec aliter euentura sint, atque ob eam causam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, & pręcognitiones sibi assumere, & palam venditare non dubitant; quibus non pauci rudes, & imperiti, alijque nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, vt ex huiusmodi iudiciorum, & prædictionum præscripto aliquid certo esse credant, aut sperent: quorum sanè, & mendacium magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis literis admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui Cœli, & Stellæ, & clarissima Cœli sydera, Sol, & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inseruiunt: sic enim Moyses populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat. Nè fortè eleuatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini seruire? nonnè nobilissimæ intelligentiæ Angeli ipsi omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationales oues, ita diligit Deus, vt non solum Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiam Angelos destinauerit. Præclarè etiam S. Hieronymus: magna dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu Natiuitatis in custodiā sui Angelum delegatū. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersus Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sunt comparanda? Nec sanè hoc loco prætereunda est eximij Ecclesiæ doctoris, & beatissimi Pontificis Magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas hæreticos, vnumquemq; hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Absit (inquit) à fidelium cordibus, vt aliquid esse Fatum dicant: vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creauit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, & si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministerijs subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei

 monitis

monitis obtemperarent, in Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, & polluamini per eos: Neque enim quæ Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto ſtudio inueſtigarent, ijſdemque miſerè ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impij, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere ſtudent, vt ob eadem prænoſcenda, & inueſtiganda in diuinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantię, Necromantiæ, alijſque ſortilegiis, & ſuperſtitionibus, non ſine Dæmonum ſaltem occulta ſocietate, ac tacita pactione operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum, triticeorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ Idolatriæ reliquias retinentes, quibuſdam augurijs, auſpicijſuè, ſimilibuſuè ſignis, & vanis obſeruationibus ad futurorū diuinationē intendunt. Alij item ſunt, qui cum morte fędus ineunt, & pactū faciunt cum Inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta in manifeſtam ſuarum perniciem animarum nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent circulos, & diabolicos characteres deſcribunt, Dęmones inuocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumicationes, aliauè ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel ſacramentis aut ſacramentalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia præſtant, cultum, venerationemuè tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut paruas phyalas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad Dęmones in eis alligandos, ſeu includendos, vt putant ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obſeſſis, aut lymphaticis, & phanaticis mulieribus Dœmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, vt merito ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendaceſq; referant reſponſiones. Alij quoque præſtigiatores, frequentius verò mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phyalis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis etiam benedictis ſub nomine Angeli ſancti, & albi, Diabolum omnium malorum ſatorem ſupplices adorantes, vel in vnguibus, aut palma manus quandoque

etiam

etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum architectum orãt, vt similiter futura, vel occulta quæuis per spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacij Diabolo, alijs incantationibus, aut varijs superstitiosis obseruationibus futurorum, & occultorum huiusmodi veritatem quęrunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumerauimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quòd Dęmonis præstigijs, ac dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetunt illusi, ac delusi miserrime reperiuntur: itaq; cum futuros euentus in se ipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessariò consequitur, vt Astrologi, & alij prædicti, qui huiusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocunque modo, nisi Deo reuelante audent, iniustè, atque impudenter, quod Dei est, sibi assumant, & vsurpent. Sic fit, vt dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, diuina Maiestas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis pestis, atque exitium importetur. Et licet iampridem regulis indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Concilij Tridentini confectis, illud inter cœtera constitutum fuerit, vt Episcopi diligenter prouiderent, ne huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisuè casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid euenturum affirmare audent, permissis tamen iudicijs, & naturalibus obseruationibus, quæ nauigationis, agriculturę, siue medicæ artis iuuandæ gratia conscripta fuissent. Libros verò omnes, & scripta Geomantiæ Hidromantiæ, Chiromantię, Necromantię, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia incãtationes artis magicę prorsus reijci, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi vsque adeo prouisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis Diaboli insidijs, diuinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes & reprobantes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore ad fide-

 lium

lium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea Sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim vbi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & prouidentia ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, vt par est, retineri: Volentes quoque prædictæ falsę credulitati, ac huiusmodi illicitarum diuinationum, & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitijs, atq; impuritatibus occurrere, vt de Christiano populo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptū est: Non est augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel: Hac perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate statuimns, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserant, aut protestentur, quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt, quiuè huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscunque, dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alij ordinarij locorum, quàm Inquisitores hæreticę prauitatis vbiq; gentium deputati, etiam si in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedāt, atque in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologię, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantię, Chiromantię, Necromantię, Artis Magicę, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt supra in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscunque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri; sed illos Episcopis, & ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus

bus

bus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem pręsentes nostrę literę ad communem omnium notitiam facilius deducantur; iubemus illas in Valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Florę affigi, seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla, etiā impressa, eisdem in locis affixa relinqui. Et insuper vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum ordinarijs, & Prælatis, necnon Inquisitoribus hęreticę prauitatis vbilibet constitutis per hęc committimus, & in virtute sanctæ obedientię districtè pręcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, vel alios easdem pręsentes literas, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis, & singulis Parochialibus Ecclesijs, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant. Quia verò difficile foret pręsentes literas ad singula queque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri; Volumus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo Sanctę Romanę, & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius Pręlati, vel Curię Ecclesiasticę munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique locorū adhibeatur, quę eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, mandatorum, prohibitionis, iussionis, commissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri Anno primo.

BVLLA PII PAPAE V.

Contra non recitantes horas Canonicas.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. EX proximo Lateranenſi Concilio, & ſalubris ſanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, diuinum officium legitimo ceſſante impedimento non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officii, & temporis, ſuos non faciat, ſed eos tanquam iniuſte perceptos, in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.

Veruntamen multorum animi ſupenſione tenentur, cuiuſmodi ratę prędictę ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expreſſius prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorũ fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantum, dimidiam, qui cęteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat; tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis, cum aliis pręſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola pręſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe pręte ndatis etiam pręter fructuum, & diſtributionum amiſſionem.

Item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſauerit, graue peccatum intelligat admiſiſſe.

Declarantes pręſtimonia, pręſtimoniales portiones, & qualiacunq; alia beneficia, etiam nullum omnino ſeruitium haben tia obtinentes cum prędictis pariter conuenire.

At quicunque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt ricus percipit, eum modo prędicto ad dicendum officium paruũ Beatę Marię Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominũ

liceat

liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, duodecimo Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno sexto.

BVLLA PII PAPAE V.

De clausura Monialium cuiuscunque ordinis, & Religionis.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. CIRCA Pastoralis officij nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quãtum nobis ex alto permittitur, inuigilantes, assiduè ad ea, per quę singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuslibet, præsertim fęminei sexus virginitatem suam altissimo vouentibus sub religionis iugo Christo Saluatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiæ, & honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incõgruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, & diuinã meritò possit offendere Maiestatem, opportune succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensius impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus. Hac igitur perpetuò valitura constitutione, inhærentes etiam constitutioni f. l. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit: Periculoso, & decretis Concilij Tridentini super clausura Monialium editis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus, vniuersas, & singulas Moniales pręsentes, atque futuras cuiuscunque Religionis, ordinis, vel militiarum etiam Hierosolymitanarum sint, quę vel iam receptę sint, vel in posterum in quibusuis Monasterijs, siue domibus recipientur, & tacitè, vel expresse religionem professę, etiam si conuersę, aut quocunque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fundationibus earum regulę ad clausurã non teneantur,

tur, nec vnquam in earum Monasterijs, seu domibus etiam ab immemorabili tempore ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis Monasterijs, seu domibus debere de cętero permanere clausura, iuxta formam dictę constitutionis fel. rec. Bonifacij Papę VIII. prędecessoris nostri, quę incipit: Periculoso in sacro Concilio Tridentino approbatam, & innouatam, quam nos auctoritate pręfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarij vnà cum superioribus earum, omnibus iuris, & facti remedijs compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuo obseruandum. Mulieres quoque, quæ tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscunque fuerint ordinis in Congregatione viuentes, si & ipsę professę fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad clausuram præcise, vt præmittitur, & ipsæ teneantur; quod si votum solẽne non emiserint, Ordinarij vnà cum superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subijciant: quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissime puniantur. Cœteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem, religionem, congregationemuè recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus, & annullamus. Porrò ne Moniales, vel tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victum, patiantur, sed vt eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per conuersas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum monialium nisi in casibus

cx

ex earum constitutionibus præmissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum superiorum. Et de cœtero nullæ aliæ conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint: quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, pro vt ex nunc nullam, irritam facimus, & annullamus. Quod si prædicto modo necessitatibus monialium, & mulierum tertiarium prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinarijs, & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de alijs personis pijs, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligãt, vel aliàs eo moliori, & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium, & mulierum prædictarum arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem, & pro vt eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ constitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini decreto, monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs districte inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum monasteriis recipiant, & admittant, siue recipi, & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipsorum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint. Mandantes propterea in virtute Sanctę Obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ vniuersis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & Diœcesibus proprijs præsentes nostras literas publicari faciant, ac in monasterijs monialium sibi ordinario iure subiectis, in ijs verò, quæ ad Romanam mediate, vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate, vnà cum Superioribus eorundem monasteriorum clausuram (vt præmittitur) quamprimum poterint seruari procurent. Contradictores, atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione post posita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sęcularis. Ac vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur, omnes Principes sęculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Domini Nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archie-

M piscopis,

piſcopis,Epiſcopis,& aliis Monialium Superioribus,aſſiſtant,ac ſuum fauorem, & auxilium præſtent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant,præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,ſtatutis,& conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apoſtolicam approbatis,& confirmatis,priuilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtolicis etiam in fundatione, & inſtitutione eiſdem Monaſteriis, vel domibus, & Monialibus ſub quibuſcunq; verborum formis,& clauſulis irritantibus, & aliis decretis quibuſlibet conceſſis, confirmatis,ac etiam iteratis vicibus,approbatis,& innouatis. Quibus omnibus etiam ſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa, & indiuidua,non autem per clauſulas generales idem importantes mentio,ſeu quęuis alia expreſſio habenda,aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, quo ad effectũ validitatis noſtrę cõſtitutionis tantum derogamus,cõtrariis quibuſcunq; . Aut ſi aliquibus cõmuniter,vel diuiſim ab eadẽ ſit ſede indultũ,quoad interdici,aut ſuſpendi non poſſint p literas Apoſtolicas nõ facientes plenã,& expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionẽ. Per hoc aũt in Monaſteriis exẽptis Ordinarii locorũ quoad alia nullam ſibi credant iuriſdictionẽ, vel poteſtatẽ aliquatenus eis attributã. Volumus autem,quod p̃ſentes literę ad valuas Baſilicę Beati Petri Apoſtolorũ Principis, & in Cancellaria noſtra,ac acie Campi Florę publicentur,& inter cõſtitutiones extrauagantes perpetuo valituras conſcribantur. Et quia difficile foret p̃ſentes ad ſingula q̃cunq; loca deferri,volumus,& etiam declaramus, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii ſubſcriptis,ac ſigillo alicuius Pręlati munitis eadem prorſus fides vbicunq; adhibeatur,quę pręſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitę,vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginã noſtræ approbationis, innouationis,ſtatuti,decreti,mãdati,interdicti, prohibitionis,annullationis,pręcepti,inhibitionis, requiſitionis, obſecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis,& voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotẽtis Dei,ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, quarto Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno primo.

BVLLA

BVLLA GREGORII PAPÆ XIII.

Reuocatio quarumcunque licentiarum ingrediendi Monasteria, & loca Monialium, & virorum cuiuscunque Ordinis, & prohibitio vtendi licentijs concessis pro casibus necessarijs, nisi ipsis necessitatibus vrgentibus.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. VBI gratiæ, & indulta ab hac Sede concessa successu têporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri præsidentis consilio submoueri. Proinde Sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia, quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præsentium reuocamus, & abolemus omnes, & quascunque licentias, & facultates ingrediendi Monasteria, domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumuis Ordinum, quibusuis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscunque status, & conditionis mulieribus, ac etiam omnes, & quascunque licentias ingrediendi Monasteria, domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscunque viris etiam eiusdem status, & dignitatis, tam à predecessoribus nostris, quam etiam a nobis, & Sedis Apostolicę Legatis, aut alijs ex quibusuis quantumcunq; vrgentibus causis sub quibuscunque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatorijs, reuocatorum restitutorijs, alijsque efficacioribus clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deq; Apostolicę potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumuè Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas: Cassamusq;, & annullamus literas desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub ex-

communicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper qua à nemine, niſi à Romano Pontifice (preterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prętextu Monaſteria huiuſmodi quouis modo ingredi audeant. Abbatiſſis verò, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac alijs Monaſteriorum vtriuſque ſexus ſuperioribus, & perſonis, quocunque nomine vocentur, diſtrictè pręcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ne in Monaſteria, domos, & loca ſua quemquam prętextu huiuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam ſub eiſdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium regularibus, ne prętextu licentiarum ab Epiſcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſarijs tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neuè Moniales ſub eiſdem pœnis illos aliter admittere pręſumant. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriorumq́ue, & ordinum prędictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis illis, eorumq́ue ſuperioribus prędictis, ac alijs quibuſcunq; per quoſcunque Romanos Pontifices prędeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis conceſſis, & confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac ſi de verbo ad verbum inſererentur pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cœteriſque contrarijs quibuſcunque. Quoniam autem difficilè eſſet pręſentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarij publici, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quę adhiberetur pręſentibus, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reuocationis, abolitionis, caſſationis, annullationis, inhibitionis, pręcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, &

volun-

voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Idibus Iunij, Pontificatus nostri Anno quarto.

BVLLA GREGORII PAPÆ XIII.

Pręlati, & alij Monasteriorum Monialium curam habentes, in casibus tantummodo necessarijs ea ingredi possint.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei; Ad futuram rei memoriam. DVBIIS, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo, quod optima primum ratione Cōcilium sanxit Tridentinum, deinde in constitutione fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri nonis Iulij, Pontificatus sui anno tertio, atq; item nostra Idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessarijs septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis ꝑ libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam. Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tam seculares, quam regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta,

ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, ijsq; senioribus, ac religiosis personis comitati. Quocirca vniuersos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate prȩditos, necnõ quorumuis ordinum Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscunque superiores regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, prӕterquam in casibus, vt prȩfertur, necessarijs, neutiquam vtantur. Quod si contra fecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiӕ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absq; alia declaratione excommunicatos existere, regulares verò omni officio, ac ministerio priuatos excommunicationi similiter subiacere. Non obstantibus Apostolicis, ac in Generalibus, & Prouincialibus Cõcilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegijs quoq;, indultis, & literis Apostolicis quibusuis Ecclesijs, eorumuè Prȩlatis, aut Ordinib° in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq́ue fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis quouis modo concessis, approbatis, & innouatis, etiam si illis caueretur expresè, quod nemo interdici, suspẽdi, vel excommunicari posset per literas Apostolicas non facientes plenã, & expressam de indulto huiusmodi mentionem, quibus, eorumq; totis tenoribus perinde ac si de verbo ad verbum insererentur prȩsentibus specialiter, & expresè derogamus, cȩterisq; contrarijs quibuscunque. Quoniam verò difficilè esset prȩsentes ad singula loca perferri, volumus, earum exemplis, etiam impressis, manuq; Notarij publici, ac sigillo personȩ in dignitate Ecclesiastica constitutӕ munitis, eandem fidem haberi, quӕ haberetur ipsis prӕsentibus, si essent exhibitȩ, vel ostensȩ. Datum Romӕ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Decembris 1581. Pontificatus nostri Anno Decimo.

LITTE-

LITERAE PROCESSVS S. D. N. D. CLEMENTIS PAPAE VIII.

Lectæ die Cœnæ Domini Anno MDXCV.

CLEMENS Episcopus seruus seruorũ Dei, Ad futuram rei memoriam. PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & solicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicę pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conseruãda, maximè elucet. nimirum, vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes, neque circunferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circunuentionem erroris, sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque se in huius vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra sub Christo capite eiusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices prædecessores nostri hodierna die; quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam Deo auctore tueri, vetustum, & solemnẽ hunc morem sequentes.

Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum

Apo-

Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quoscunque Hussitas, Vuicleopitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabathistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque sectæ existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros Hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, & eos qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscunque, status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos quorum auxilio, vel fauore, appellatum fuerit.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos Maritimos, discurrentes Mare nostrum, præcipue à Monte Argentario vsque ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque Nauibus, tempestate, seu in transuersum (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in litoro inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quàm in cœteris cuiusque maris Regionibus, & litoribus, surripuerint. Ita vt nec ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiã immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua Pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum gratiam,

etiam, vel iustitiam concernentium, per Romanũ Pontificem, vel S.R.E. Vicecanc. seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma breuis, & etiam falsò signantes Supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis: seu Vicecanc. aut gerentium vices prædictorum.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos, per nostras, siue huius sanctæ Sedis sententias expressè, vel nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalibem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignámina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quàm alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque priuilegijs quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per nos, & Sedem p̄dictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia, ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana prefulgeant dignitate.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorũ opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à nobis, vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes; similia; contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depredantes, Romi-

petas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis diœcesibus, territorijs, Terris, seu dominijs, eijcientes. Necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui, per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel seculares, ad Romanam Curiam super eorum causis, & negociis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negocijs deputatos, occasione causarum, vel negociorum huiusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè, delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos quàm seculares cuiuscumque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum Decretorum, à nobis, & à sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus: Palatij nostri, & Cameræ Apost. Auditoribus, Commissarijs, aliisque Iudicibus, & delegatis Apostolicis, emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fisci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac Literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones & Notarij, super huiusmodi literarum, & processuũ executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta,

parti,

parti, cuius intereſt tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, notarios, executores, & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & regnis eijciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminãtur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, quiue aliàs quibuſcumque perſonis, in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negocijs proſequendis, ſeu gratijs, vel literis impetrandis ad Rom. Curiã accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mãdare, vel eas apud ſe, aut notarios, ſeu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios auctoritate propria, ac de facto, quorumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum p̃textu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris, alijſque iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illarumue curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, conuentus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quiue partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui per ſtatutum, vel aliàs compellunt, vel executionem literarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium proceſſuum, & decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prętextu violentię prohibendę, vel aliarum p̃tenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, vt dicunt ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſpplicationes huiuſmodi, coram nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiam ſi talia cõmittentes fuerint pręſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii; Conſiliarii, Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcunque Principum ſecularium, etiam ſi Imperiali, Reali, Ducali, vel alia quacunque pręfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

Quiue ex eorum prętenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorũ

 quo-

quorumcunque personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientium, Cancellariam, Consilium, vel parlamentum, preter Iuris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quęsito colore: necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pręeminentias, seu quęuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quęsito colore, ac etiam pretextu cuiusuis, cōsuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo lęditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictę Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè prejudicatur.

Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos, ordinarios quomodolibet impediunt; quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur, secundum quòd Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Eccl. iudicium eludentes ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequũtur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad nos, & Sedem Apostolicam, & qualescunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.

Quiue collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absq; simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia, imponunt, & diuersis etiã exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, &

conce-

concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones & alij potentatus quicunq; etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Terris quoquomodo Præsidentes, & Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunq; Magistratus & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Viceecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, detinere præsumpserint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniç, & Corsicç, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiã pertinentia, dictæq; Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere & vexare varijs modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his

literis

literis contenta quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium quàm per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate prædictis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiã Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo literis, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum ac concedendorum, & innouandorum, nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi compræhendantur.

Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impédere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus grauius contra eos, spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Declarantes ac protestantes quamcunque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus compræhensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint, Ac quo ad eos, qui contra Eccl. libertatem, vt pręmittitur, statuta fecerint, nisi pri° statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non compræhendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunq; alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunq; tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque iuribus Sedis Apostolicæ, ac S.R.E. vndecunque, & quandocunq; quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari posse, ac debere.

Non

Non obſtantibus priuilegijs, indulgentijs, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorũ alicui, ſeu aliquibus alijs cuiuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, vt præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeanr dignitate: Vel eorum Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, ſeu locis à prędicta Sede, ex quauis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicar, ianathematizari, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi, ac de ordinibus, locis nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac pręſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & alijs quibuſlibet obſeruantijs, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias quominus includantur in eis ſe iuuare valeant, vel tueri.

Quę omnia quo ad hoc eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſos inſererentur pręſentibus projexpreſſis habentes penitus tollimus, & omnino reuocamus, cęteriſque contrarijs quibuſcunque.

Vt verò præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes valuis Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi faciemus.

Vt ij, quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quòd ad ipſos non perueneriint, aut quòd ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationẽ prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, vt proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eò fiant notiora quò in pleriſque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, poſt quam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſijs ſuis, dum in eis maior

populi

populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Cęterum Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi, aliiq; locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri, seculares, & quorumuis ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputati, transumptum literarum penes se habeant, easq, diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curię, vel alterius personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, Indignationem Omnipotētis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę; Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Decimo Cal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Errata Corrigito.

Folio 3. a contegengendam contegendam. fo. 4. b elemosina eleemosyna fol. 5. a ipsisque ipsique fol. 6. a elegant eligant fol. 7. a prouectionis prouectioris fol. 7. a Vespere Vesperæ fol. 8. a inxta iuxta fol. 8. b lanchus banchus. fol. 13. a sublaris sublatis. fol. 16. b mottuo mortuo. fol. 18. a : signnm signum: fol. 19. a aduenationes ad venationes. fol. 19. a Breuiarum Breuiarium. fol. 20. b illos illis. fol. 28. a infingere infringere. fol. 30. b apso lapso. fol. 32. b fractus fructus. fol. 42. leggi similitet, similiter. fol. 44 leg. pœnirentia pœnitentia.